


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
17 A
55


IHS
Scribe sacros,
dedisce modos.
Elegia profanos.
Cypr. Diuinus Septemp.d. del.



ELEGIARVM LIBRI IIII

AVCTORE

BARTHOLOMÆO ROGATO

STABIENSI E SOC. IESV


Eminen.mo Principi

ANTONIO

CARD. BARBERINO

S.R.E. CAMERARIO


DICATI.



EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO CARDINALI BARBERINO

S. R. E. CAMERARIO.




BARTHOLOMAEVS ROGATVS
E SOCIETATE IESV.



RIENTALIVM Imperatorum institutum fuit, an ambitio, id quod literis de ijs antiquitas consignauit? fuit his conclaue ostro vndique instratum, instructumq. quod ab ornatu Purpuram nuncupabant; vbi Porphyrogenitos illos suos, hoc est imperaturos olim terris infantes excipiendos primum materno cura-

bant



bant ex vtero, vt nimirum non ante lucem oculis, quam purpuram vsurparent. Equidem, Antoni Cardinalis Eminentissime, ambitioni mihi minimè tribui velim, quòd libellum hunc meum publicæ largiturus vtilitati, tanquam verè Porphyrogenitum in lucem purpuræ tuæ edendum curarim. Exigebat siquidem hanc obsequij erga Te mei qualemcumq. significationem beneuolentia illa tua incredibilis, qua societatem nostram tam arctè complexus es, vt publicum illius decus priuatum ducas. Consecrasti nuper seculum illius, aureum verè, sed auro tuo, tanta liberalitate, tanta munificentia, vt ventura deinceps secula, te vnum loquutura propemodum videantur. Et sanè ego qui Eminentiam Tuam ne de facie quidem noueram, ad tantæ humanitatis famam adeo exilui, vt Elegos meos vulgaturus propè parricidium duxerim si alteri illos potius quam Tibi, parenti sane optimo, consecrarem. Fateor non est tanti labor hic meus, vt purpuræ tuæ splendidissimæ radijs, quibus vniuersus vndiq. terrarum orbis illustratur, de-

beat.

beat inaugurari: At Tu mihi tanti es, vt nihil meum esse velim, nisi generositati subijciam Tuæ. Extorques, humanitate, quod maiestate repellis. Non fuit iudicij mei examinare, an dignum patrocinio Tuo *opus afferrem, quia non erat arbitrij, alteri illud, quam Tibi deferre. dignum, indignum Tibi addicendum fuit; Tuum erit igni malis, an luci tradere: trades certè luci, respicias tantum. quamquam non dubito, Te, qui semper nostras esse aliquid putare nugas soles, studium hoc meum æqui boniq. consulturum.*

AD

AD LECTOREM.



ABES, erudite lector, Elegos tandem meos, quos à me non-conſcientia recte facti, ſed amicorum, vel auctoritas, vel importunitas extorſit. Patiebar facilè carere typis, ac formis informem ingenij fætum, parum fortaſſe ad vſum præſentis temporis latinæ linguæ beneficio conformatum. Verebar nonnullorum librorum fatum, qui vix dum in lucem editi, tenebris addicuntur librariorum, ante Libitinam, quam Lucinam experti; ante feretro excepti, quam cunis; ante ſepultura donati, quam vita; ante ſitu, quam attritu conſumpti. Verebar Ariſtarchorum iudicia, qui ſiue genio aliorum laboribus obtrectandi nemini parcentes Cynico more prorſus omnibus genuinum infigunt. Verebar denique genus ipſum poëticæ ſcriptionis, quod apud pluri-

mos,

mos, non ſuo, ſed ſcriptorum vitio leuitatis notam vix effugit. Fabellas quis captat? vates adit. amores venatur? Elegos conſulit. ludicra ſectatur? ad Muſas diuertit. quotus quiſq. ſeuerioris grauioriſq. ſupercilij poëtas legendos cenſet? fateor, hæc diù me deterruerunt à ſcribendo. Sed quid erat agendum? tacendum ſemper? at illud poëtæ non inelegantis

Semper ego auditor tantum, nunquam ne reponam?

vellicabat aures identidem, nec tacere patiebatur. Accedebat quod nec tacere quidem ſi voluiſſem poteram Muſis ab ineunte ferè ætate initiatus. Muſas cum dico, animal dico garrulum, loquax, & quod vix credas, vocaliſſimum. Vix aliquis non è Senatu modò, ſed ex infima poëtarum plebecula dyſtichon, aut tetraſtichon latrocinante magis Mercurio, quam dictante Apolline compoſuit, cum ſubitò præſenti recitat amico, tranſmittit abſenti, legit in foro, promulgat in triuijs, enucleat in Lycæis, affigit in exedris, commen-

men.

mendat in cathedris, nuſquam non decantat. Qui potuit igitur fieri, vt huius me morbi nulla contagio, nulla peſtis afflaret? Quid? quod elegi mei breuibus excepti pagellis populari quadam aura leniter aſpirante huc illuc diſperſi ferebantur, & vt plurimum à pueris captabantur tanquam ad inuoluendum deſtinati

thus, & odores

Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

colligendi igitur erant, & in vnum veluti corpus redigendi, ne tanquam adulterini ac ſpurij non probati ab auctore, ſed abiecti, atque expoſiti viderentur. Quod autem ſcribendis tantum Elegis inſudarim, illud in cauſa fuit, quod hæc tantummodo poëticæ pars prætermiſſa conſultò noſtratibus à ſcriptoribus videretur, & velut ignobilis, ac plebeia minus ex profeſſo culta. Inflant alij tubam grandioribus buccis, & quà Epico, quà Tragico more cothurnati incendunt. Lyram alij maſculo ſanè ſono modulantur ad numeros;

& Ro-

& Romanæ lyræ fidicines prætereuntium digito monſtrari cupiunt. nonnulli quas habent venuſtates, ac ſales epigrammatis ſenſim inſtillant, ac breuibus inſtructi aculeis feriendo delectant. Elegos rari ſcribunt, vt non voce tantum, ſed materia quoque miſerabiles videantur, id me pepulit, vt eos ego cæteris ſi non felicius, abundantius ſaltem colerem. Si placuero, operæ certe pretium magnum tulero; ſin minus, meminero Elegos carmen eſſe ſepulchrale, ac funeſtum, & tanquam ipſemet libelli mei funus conſolaturus ſcripſerim, in calce operis verſiculum vatis eximij addendum curabo

Tibia funeribus conuenit iſta meis.
Vale.

Mu-

MVTIVS VITELLESCVS
SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVM Libros quatuor Elegiarum P. BARTHOLOMAEI ROGATI noſtræ Societatis Sacerdotis, aliquot eiuſdem Societatis Patres recognouerit, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur ſi ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem, has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 4. Aprilis 1641.

Mutius Vitelleſcus.

Loco ✻ Sigilli.

AD DEIPARAM

ELEGIA I.

PRimus amor cæli, nostræ spes prima salutis,
Prima dabit faciles ad mea plectra modos;
Virginis in nomen modulamur carmina, Virgo
Dum canitur, toto cesset in orbe canor.
Cetera quæ vates olim cecinere priores,
Materia iaceant contumulata sua.
Quis ferat heu turpis substratum terga rapinæ
Æquora taurina currere fronte Iouem? (tũ?
Quis Semelẽ, Bacchũq. Phrygẽquis ad æthera rap-
Nympharum prædam quis patiatur Hylam?
Proh scelus! impuros tantum mihi narrat amores
Pindus, & ad numeros somnia sola vocat
Nescit adulterium, qui prisca volumina nescit;
Illa docent ipsos crimen habere Deos.
Me miserum, stellis iam non licet esse pudicis!
Has etiam vatum garrula Musa notat!
Endymion, Lunæq. faces, & Apollinis ignes
Inficiunt vestrum, Sidera clara, iubar,
Mentitas flammas, & non sua crimina cælum
Erubuit, pudor est qui notat astra color.
Ah pereat quisquis cælestes præterit agros,
Et petit ab sterili noxia dona solo.
Ergone tot vates, tot carmina sparsa per orbem

Nil nisi quæsitum crimine nomen habent?
Immortalis erit quæ præfert pagina mortem?
Pulchraue, quæ tantum turpia Musa canit?
Argumenta mei versant potiora libelli,
Vt sint culta minus carmina, fraude vacant.
Ludimus innocuos puris ardoribus ignes,
Vnde cremet Cyprius noxia tela puer.
Quum & ab æthereis flores decerpimus hortis,
Nulla vbi lasciua germinat herba coma:
Nulla venenato liuens vbi vipera dorso
Abdita frondosa deuia valle latet.
Sed tellus vbi casta pio pubescit Acantho;
Et face siderea picta ligustra nitent.
Lilia virginitas dabit, & violaria pallor,
Et sacra diuini sanguinis vnda rosas.
Non acies, non bella cano, non Cypria tracto
Spicula; non thalamos, ò Hymenæe, tuos.
Idalium, Paphos, atq. Amathus, & Cyprus, & Ide,
Nomina sunt ipso pene nefanda sono.
Nazaris, & Bethle, vitrea Iordanis & vnda;
Nomina sunt titulis facta pudica suis.
Hæc mihi carmen erunt. Vati tu, Diua, canenti
Mille potes superum conciliare choros,
Mille nouos fontes aperire sonantibus vndis,
Mille lyræ neruos addere, mille modos.
Nam mihi nec fictæ pandent Helicona camænæ,
Nec mea Castalius proluet ora liquor.
Carminis artificem te nostra Thalia sequetur,
Et, volet ad nutus flectere verba tuos.
Incipe: maternos primum dicamus honores.
Te gremio clausam dum tua mater habet.

AD

AD B. ANNAM

De Deipara concepta.

ELEGIA II.

ANna parens, dignamq. Deo paritura à parentem
Quanta tua terris gaudia prole paras!
Orbis, io, lætetur: habet quò gaudia ducat
Orbis, habet tellus, altus Olympus habet.
Terrarum cæliq. potens pulcherrima Virgo,
Vna Acherontæos perdomitura Duces
Concipitur, cui prima parem nec protulit ætas;
Sera reuersuro nec feret orbe dies.
Contulit huic Aurora suos pudibunda decores;
Contulerunt pictas sidera picta faces.
Contulit argentum Latonia, Delius aurum,
Candida natiuas semita lactis opes.
Terra rosas, gemmas Pactolus, Erythra lapillos;
Lilia cognatas exhibuere niues.
Omnia quæ versare manu bonus, ordine certo
Artifici miscet lege minister Amor:
Diues Amor rerumq. sciens, artisq. magistræ;
Virginis intactæ nobile format opus.
Ille & felices capitis distinguit honores,
Immensumq. breui claudit in orbe decus.
Implicitosq. voluminibus, spirisq. capillos

 Dige.

Digerit in tenues per ſua fila comas;
Nulla ſua pars laude vacat; non lumine vultus,
Non gena purpurei ſideris igne caret.
Adde manus, plantaſq. ſuperciliumq. Tonantem
Ad ſua ſubiectum flectere iuſſa potens.
Adde faces ſanctas, puriq. incendia cordis,
Et niueum propter lilia nata ſinum.
O bona pupa tui rapiunt mea corda nitores;
Ah tibi quam pulcher fulget in ore decor!
Dulce meos oculos, mea pectora dulce laceſſis,
Et morum decus eſt, & decus oris idem.
Tota nites formoſa micantibus æmula flammis;
Turpia nec patriæ lemina labis habes.
Quale ſolet ſuperas conſurgere palma per auras,
Palma parætonij filia pulchra iugi:
Aut qualis roſa natiuo ſplendeſcit in oſtro
Lenè coloratas tincta rubore genas:
Aut qualis ſoboles tardè creſcentis oliuæ
Edita frondoſum tollit ad aſtra caput;
Aut qualis platanus ripas ſata propter amænas
Explicat vmbroſam fronde virente comam;
Talis maternaq́ ſenſim pubeſcit in aluo
Pupula naturæ nobilioris honor.
Quin & ſidereis imbuta nitoribus, vltro
Grata peregrinæ cinnama meſſis olet.
Et quantum cæſo fragrant opobalſama trunco,
Tantum flauentes fragrat odora comas.
Hanc vos cælicolæ veſtris ſociate choreis,
Dignior eſt ſuperis nulla puella choris.

AD DEIPARAM

Primigeniæ labis expertem.

ELEGIA III.

Affer opem cælestis amor, tua maxima, Virgo
Cura, sinum castæ nunc genitricis init.
Affer opem: ferus anguis adest, inamabilis orci
Pestis, & in nostram bellua nata lucem.
Arma moue, stygias portentum triste sub vmbras
Exige, te cœsum vindice turpè cadat. (pus!
Hei mihi quātus adest! quāto mouet agmine cor-
Vt subito toruas induit ore minas!
Felle tument artus, stant lumina cæca veneno;
Et serpentigena colla superba iuba.
Membra voluminibus collecta rotantur in orbē;
Caudaq. pulsatam dura flagellat humum;
Sibilat immensum, lapsuq. volubilis atro
Deserit Arsacia spicula missa manu.
Arduus è cæca caput exitiale latebra
Tollit, Auernali viscera potus aqua.
Horresco referens, iam iam mea Diua nitorēs
Gestit, io, fœda spargere labe tuos.
Scilicet vt primum materna fætus in aluo
Constitit, & vitæ limina prima subit,
Continuo ferus anguis adest, atq. ore cruento

Euomit in nostrum dira venena genus:
Ergo, Diua, tuos sparsurus tabe decores
Vipcreum toruo subrigit ore caput.
Me miserum! quãtum tetræ vomit halitus auræ!
Pene solum mergit turbine, pene salum.
Pallescunt flores, afflataq. lympha veneno
Aestuat, affectis Phœbus anhelat equis.
Proh superi prohibete nefas. tuq. ò bone custos
Virginis, & tanti pignoris auctor Amor,
Tela moue, pharetramq. manu molire sonantem
Effice, lethæas bellua visat aquas.
Audior, ecce sonans flexo leuis aliger arcu
Sponte reluctantem cogit ad arma feram.
Illa furens animis linguis micat ore trisulcis,
Nigraq. squamoso pectore colla leuat.
Fortis Amor contrà telum rotat, & premit hasta
Corpus, & intorta cuspide terga ferit.
Saucicus at serpens sinuosa volumina dorso
Complicat, & spiras mille cruentus agit:
Donec vipereo vitam cum sanguine mixtam
Euomit, & multa cæde cruentat humum.
At iuuenum pharetrata cohorsper inane volantũ
Plaudit, & arguta voce, triumphe, canit.
Plauserunt valles, plauserunt culmina Diuæ:
Diua regit terras, sidera Diua regit.
Diua venenatum pede proterit vlta colubrum,
Nescit & antiquam pertimuisse luem:
Ex illo celebratus honos, & Virginis ingens
Nomen Auernales extimuere duces.
O decus, ò potior mundi melioris origo
Cresce: tuo crescet corpore nostra salus.

IN NATALITIIS DEIPARÆ

ELEGIA IV.

LVciferis inuecta nouis noua naſcitur eos,
Aurea diuini nuncia ſolis eos. (terras!
Quã niueum feret illa diem! quo nomine
Lumine quo cæli ſigna minora reget!
Huius in exortu iam nunc & Tartarus ingens,
Et tremit inferni regia nigra Iouis.
State Duces Erebi, quæ vos fuga pellit inultos?
Vna potis veſtras frangere pupa minas?
At domus æthereæ fortunatiſſima ſedis
Integra de puro gaudia fonte bibit.
Qua mare, quà tellus, quà lucida ſidera ducunt
Oria per longas illecebroſa moras.
Hinc celeres pura ludunt Delphines in vnda,
Et repetunt facili molliter arte choros,
Illinc aſtrorum geminatis ignibus ignes
Ludicra feſtiuis dant ſimulacra modis.
Hinc auium pictis volitans exercitus alis
Ludit, & arguto temperat ore melos.
Hinc vaga laſciuo delabitur vnda ſuſurro,
Et tremulo varias implicat amne fugas.
Ambroſiæ paſſim ſtillant dulcedine quercus,
Et dominam muto flore ſalutat ager.
Olli purpureos ſubmittit erythra lapillos,
Et Thetis eoi gemmea dona maris.


Olli puniceis præcisi corallia ramis;
Et patrias offert Oceanitis opes.
Fundit humus violas, depectunt vellera Seres,
Tinctaq. dat fuluo murice vela Tyros.
Indus ebur, molles dant mascula thura Sabæi;
Grataq. Panchææ munera frugis Arabs.
Sidera cælestes mittunt famulata nitores,
Et Phœbus rutilæ fulgida fila comæ.
Luna puellares ambit circumflua plantas,
Curuat & in cunas cornua vincta pares.
Cuncta recognoscit rerum natura puellam
Flectere terrarum subdita regna satam.
Mirantur superæ decus immortale cohortes,
Et iubar, & niueæ nobile frontis ebur.
Mirantur sanctasq. faces, & amabile lumen
Oris, & æterno pectora fæta Deo.
Mirantur, proniq. nouos venerantur honores,
Et placido mulcent molliter astra sono.
Salue digna Deo soboles, dignissima cælo;
Spectandum terris, cælicolisq. caput.
O decus astrorum, superum decus, ò bona Virgo
Inter sidereos adnumeranda choros;
Prima tui nunc dona libens cape debita solis,
Mox etiam solis digna futura parens.
Talibus Aligeri concentibus aëra mulcent,
Et referunt dominæ grata tributa suæ.
At tu, cara puella, subi feliciter auras,
Multorum votis vna petita subis.

IN EIVSDEM NATALI DIE

ELEGIA V.

Festa dies radijs melioribus explicat ortū,
Aurea virgineo lumine fæta dies.
State Noti, preme Caure, tuas mollissime pēnas,
Nulla procellosas asperet aura minas.
Fulgeat hæc sine nube dies, & luce serena
Purior eoos euehat axis equos.
Nascitur impolluta sacris natalibus infans,
Infans naturæ pompa, Tonantis amor.
Qualis odorato rosa concolor ardet in ostro,
Picta genas læto murice, picta sinus;
Aut qualis concha collucet gemma reclusa,
Gemma peregrinæ nobile munus aquæ.
Aut qualis pelagi lotus modo Lucifer vndis,
Paulatim nitido prouehit ore diem.
Talis Diua subit iam iam domitura Tyrannum
Ditis, & infernas imperiosa minas.
Illam virtutum sequitur chorus, aduolat olli
Virgineos vltrò turba secuta pedes.
Cana fides, nodoq. sinus collecta fluentes
Nobilis ornatu versicolore Themis.
Et viridi spes alma smaragdo nexa capillos,
Et charis intacto flore decora genas.
Mox Agape, succensa Agape præcordia flammis,
Nataq. diuinos sollicitare rogos,

Et pietas, & luteolo circundata velo
Relligio, sacris lecta ministra focis.
Et lætos discincta sinus, porrectaq. frontem
Simplicitas nullos nectere nata dolos.
Et deiecta humiles formosa modestia vultus,
Nuptaq, Virgineo Diua pudica toro.
Contemptrixq, superba auri, argentiq. nitentis
Pauperies auro concolor ipsa comas.
Et centum quæ ferre piget, centum agmina, centũ
Impigra sidereis numina lapsa plagis.
Qualis vbi tepida Phoenix rediuiuus ab vrna
Explicuit volucrem picta per astra fugam,
Mille trahit celeres cæli per inane cohortes,
Aligerum, circum lumina mille trahit.
Haud aliter modo nata leues Regina sub auras
Conuocat æthereos ad sua signa choros,
Mox vbi grandescent artus, volet illa parentem
Lucis ad obsequium conciliare suum.
O veniant anni, veniet felicior ætas,
Et pariet solem filia solis eos.



CVNAE NASCENTIS DEIPARÆ

ELEGIA VI.

CEdat odoratas annoso stipite Cedros
Alta Palæstinis cæduasylua iugis,
Et passim truncas Libanitidas offerat ornos
Intactum Sacra relligione nemus.
Nunc mihi det Lauros, & odoriferã Terebinthũ
Oricos, & conia pinea ligna coma.
Nascenti diuinus amor cunabula Diuæ
Fingit, & extructo molle cubile toro.
Prima ministerio palmas submittit Idume,
Et Tyros artifici robora secta manu.
Artis opus raræ cunarum nobile textum;
Dædalus æterna construit arte faber.
Sufficiunt rutilos argentea sidera clauos,
Sidera per cæcas fixa, refixa vias.
Materiam puro Titan discriminat auro,
Et varium ducto lumine pingit opus.
Temperat argento fraternos Luna rubores,
Et circumfusum candida miscet ebur.
Cornua quin etiam curuato subijcit astro,
Vt gemina moles fronte bicornis eat.
Interea diuinus Amor deducta per artem
Robora, solerti nectit vtrinque manu.

Mox & fatidicis decus immortale figuris
  Addit, & insculptis aurea signa notis.
Illic virgineos imbelli Marte triumphos,
  Et noua de vacuo corpora ducta chao
Fecerat; vt diæ succensus amore puellæ
  Omnipotens rerum semina prima iacit:
Iam libet infantis cunabula cernere mundi,
  Et sancita suis fædera certa locis.
Horret inexhaustum rudis, indigestaq. moles,
  Perq. suas domini spiritus errat aquas.
Hæc inter tenuem subito consurgere lucem
  Fecerat, & roseo lumine ferre diem.
Haud procul hinc rerum series confusa recedit;
  Inq. suas partes diffitus orbis abit,
Subsidit tellus, cedit mare, tollitur æther,
  Sortitur mediam mobilis aura plagam.
Tellurem flores distinguunt, æthera flammæ;
  Delphines fluctus, aëra tranat auis.
Hic segetes, illic videas erumpere fontes,
  Hic plantani lentas explicuere comas.
In medio vernis pubescit floribus hortus,
  Aeternum riguis fertilis hortus aquis:
Hospitium vetus, & statio malefida colonis,
  Ah nimium nostris fertilis ora malis.
Diues ager fruges nullo cultore ministrat,
  Et semper virides explicat herba comas.
Hic vafer ille malis instructus fraudibus anguis
  Spargit in humanum dira venena genus.
Heu miserande parens, quæ te fera cogit Erinnys
  Noxia fallaci carpere poma manu!
Extinxti nos, teq. simul: tu rure beato

Pul-

Pulsus abis, patriæ nos premit ira necis.
At procul hinc toto superum plaudente senatu
Exultat medijs vna puella choris.
Ipsa videbatur passis Regina capillis,
Ad sua collectas signa vocare manus.
Vibrat ab æthereo contortum lumine telum;
Et ferit æternum certa per arma Deum.
Labitur omnipotens intactam Numen in aluum;
Et tumet illæsa virginitate sinus.
Haud procul inde iugis surgit Bethlæa niuosis,
Et specus, & paruæ rustica caula casæ,
Hic Deus in stipula vagit puer; hic Amor infans
Vbera materno turgida lacte premit.
Hic & tergemini rutilo duce sidere Reges
Fecerat infanti munera ferre Deo.
Hic puer ah tenerum primo versare cruorem
Incipit, & roseo spargere rore solum.
Sistitur hic templo; maternis numen ab vlnis
Excipit ardenti præscius ore senex.
Ecce puer Pharias properat fugitiuus in oras,
Omne decus Solymæ, dum fugit ille, fugit.
Mox redit, & patrias iterum colit hospes arenas:
Omne decus Solymæ, dum redit ille, redit.
Inde procul genitrix fletu tabescit amaro,
Et sobolem totis anxia quærit agris.
Tergeminos latet illa dies, miseramq. parentem
Conficit. ah gemitu pene perempta parens.
Templa patent contrà, templis Regina sub altis
In cœtu puerum cernit adesse senum,
Cernit, & exclamat: cur me mea vita relinquis?
Cur fugis ex oculis vnica flamma meis?

Talia per sacras rerum miracula cunas,
Pinxerat æternæ callidus artis Amor.
Multaq. præterea puro signabat in auro
Dædala cælatis præscia signa notis:
Donec perfectis opus immortale figuris
Constitit; & formis plausit Amoris Amor.

AD DEIPARAM

In cunis vagientem.

ELEGIA VII.

MOlliter in sacris vagit mea pupula cunis,
Et sensum tacitis fletibus ora rigat.
Auræ, Nazareis flantes è vallibus auræ
Assuetæ superas ire, redire vias,
Virgineum portate meas huc murmur ad aures;
Hos etiam gestit Musa referre sonos.
Anna parens accurre: tuæ da lactea natæ
Vbera; ne querulo verberet astra sono.
Quid loquor? ah dulces hauri magis aure canores.
Nam tua dum vagit pupula, dulce canit.
Progeniem ne flere vera, nam femina risus
Fletus habet, lacrymas obruit illa meas.
Ipsi vagitus teneram decuere puellam;
Dulcior æthereis est sonus ille modis.
Ah quoties istos vagitus territus orbis
Optauit, stygij dum fremuit ira canis.

Hos

Hos quoties natura sonos exciuit ab astris,
Tartareus toruo dum furit ore Draco.
O dulces mihi vagitus, ô blanda susurri
Vena, potis sensus vim cohibere mei.
Ah precor, ah longum terris mea pupula vagi,
Pupula vagitu sidera surda feri.
Vagitus ni, pupa, tuus recludat Olympum,
Fallor, an æternum clausus Olympus erit?
Armenias flectis vagitu pupula Tigres,
Et potis es Lybicas perdomuisse leas.
Vagi, pupa, tuus iam iam consurgit amator
Excitus, & blandos ebibit aure sonos.
Tota licet cæli concentibus aula resultet,
Dulcius ille tuo captat ab ore melos.
Vagi, pupa, tuus vagitus sidera mulcet,
Et trahit ad molles rustica saxa modos.
Vt tua vox primum vagitus edidit orbi
Orbis ab insolito murmure dixit, io,
Lenijt iratos fluctus mare, lenijt Austros
Aeolus, & tumidos clausit in antra Notos
Captauere nouæ fontes dulcedinis haustum,
Et solita fluxit purior humor aqua.
Ipsæ libratis volucres per inania pennis,
Fuderunt placido blandius ore melos.
Vagi, pupa, tremor pallentes occupat vmbras
Vagitus quoties insonuere tui.
Cerberus horrentes triplici premit ore latratus,
Terribilesq. Hydræ detonuere minæ.
Eumenides sparsis errant per colla colubris,
Et silet anguineas scissa Megæra comas.
Regia nigrantis mussat tremefacta Tyranni,

Et

Et pulsat tacitus pallida corda pauor.
Cetera quid memorẽ? dum tu mea pupula vagis
En silet ad voces nostra Thalia tuas.

DEIPARAE FASCIAE

ELEGIA VIII.

AVrea celestes gyro complectitur orbes
Fascia sidereæ nobile molis opus.
Fascia, quæ vario spectabilis argumento
Diuidit alternas per sua signa vices.
Hic Aries viridi redimitus tempora serto
Spargit odoratas læta per arua rosas.
Illic auratis recludit cornibus annum
Taurus, & aprici tempora veris agit.
At Gemini geminata ferunt incendia lucis,
Et sua partito sidere regna tenent.
Hinc face subiectas exurit Cancer arenas,
Et sibi natales lumine siccat aquas.
Inde Cleonæi grassatur flamma Leonis,
Quo nullus cælum sæuior ignis habet.
Mitius æstiuo bacchatur sidere virgo,
Et gerit ardenti spicea dona manu.
Libra die, somniq. pares iam diuidit horas.
Iam ferus obliquo Scorpius igne tumet.
Tela iacit contrà, flexoq. Saggitifer arcu
Vulnera iam senior languidiora facit.
Explicat hinc tenues curuato vertice tædas,

Nec

Nec queritur ſtabulo ſe procul eſſe Caper:
Vltimus hybernam deuoluit Aquarius vrnam,
Et Piſcis liquidas proximus ambit aquas.
Talibus arcana diſtinguitur arte figuris
Faſcia cæleſtis flexile molis opus.
Hanc tamen vna præit diuino faſcia cinctu,
Iuſſa puellares implicuiſſe ſinus.
Virginis Iſaciæ quæ zona recolligit artus,
Munera fortunæ nobilioris habet.
Huic neq. longinqui mittunt ſua vellera Seres;
Nec venit è molli purpura tincta Tyro.
Lucidiore nitens opus intertexitur oſtro,
Purior Aſſyrio lana colore rubet.
Huic rutilum tonſo ſubmittit tergore villum
Aurea villoſo tergore diues ouis.
Huic lucis genitor patrios dat habere nitores;
Oris & ardentes explicuiſſe faces.
Aſtra coruſcantes addunt famulata fauillas,
Lunaq. candentes officioſa niues.
Texitur hinc diæ textum geniale puellæ,
Nobilior noſtra conditione labor.
Ipſa parente Deo quondam ſata maxima Pallas;
Admouet artifices ad noua penſa manus.
Ipſa miniſterio vires intenta magiſtras,
Nobile diuino pectine verſat opus.
Tela coloratis internitet aurea punctis.
Quale micant ſuperis ſidera ſparſa plagis:
Imbuit hanc ſacris manus ingenioſa figuris,
Et docet inſcriptas lina referre notas.
Germinat hic firmis vallatus ſepibus hortus;
Hortus inexhauſtis ſemper apricus aquis.

In medio folijs candent argentea puris
Lilia non vlla contemerata manu.
Lilia virgineo titulum factura pudori,
Et nunquam castas depositura niues.
Fons procul extremam signatus marginis oram
Arcano vitreas gurgite nutrit aquas.
Innocuo salit vnda vitro, passimq. per herbas
Non obseruata ludit inulca fuga.
Haud aliter tacitis cælestis gratia riuis
Plenius humani pectoris arua rigat.
Stat contrà puteus, cui rore fluente perenni
Sufficit æternas vena salubris aquas.
Mortalem fugat vnda sitim; bibit inde Sabæus
Aridus, & multo sole perustus Arabs.
Vna salus rebus sacros haurire liquores:
Vita subest vndis: cetera funus habet.
Haud procul hinc pura speculi sub imagine vitrũ
Mille repercusso spicula sole iacit.
Aemula cælestes reddit crystallus honores,
Concolor æthereas visa referre faces.
Nec niuibus par cãdor inest, nec forma ligustris,
Gemma nec in toto purior orbe nitet.
Hæc inter gradibus sublimis in æthera surgit
Scala potis superas applicuisse plagas;
Et genus humanum patrijs adiungere regnis;
Et facilem liquido sternere calle viam.
Hic & candenti perfecta nitens elephanto
Mystica ferrato ianua poste riget;
Non illam vis vlla potis perrumpere ferro;
Perdere nec stygia vis inimica manu.
Vnus eam cæliq. sator, terræq. iacentis

Audet

Audet inoffensa transilijsse fera;
Ecce videbatur tumidos interrita fluctus
Nare peregrina merce superba ratis.
Aduena disiunctis retinacula soluit ab oris;
Et vehit ignotæ dona beata plagæ.
Cærula felici verrit spumantia remo,
Velaq. diuini flaminis aura replet.
Frangit inæquales rostro luctante procellas.
Nec timet aduersos imbre fremente Notos.
Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis,
Et secat æquoreas imperiosa vias.
Auro prora nitet, flauescit puppis in auro,
Flaua sub aurato robore transtra micant.
Carbasus vndanti sinuatur eburnea lino,
Hoc habuit Lunæ, cætera solis erant.
Sidera quæ tenuit musis fallacibus Argo,
Inferior nostra puppe carina fuit.
Talia per telam dia pingente Minerua
Symbola Virginei nota pudoris eunt.
Ridet opus, ridet cultu septemplice textum,
Et reserat sacras picta figura notas.
Sed iam cælestes superindue, pupula, cinctus:
Aptior est membris fascia nulla tuis.



DEIPARAE NASCENTIS


NAENIA.

ELEGIA IX.

NAenia formosæ canitur diuina puellæ:
Si, sapis ingratos siste Thalia sonos.
Rustica sunt, Erato, tua carmina, rustica, (Clio,
Non sapiunt numeri, Calliopæa, tui
Turba salutantum, quæ sidera liquit, Amorum,
Illa potest dulci flectere voce melos.
Et iam virgineas circumstat sedula cunas;
Sacra pharetrato milite lecta cohors.
Hi faciles plectro neruos, hi nablia pulsant,
His lyra concordes reddit eburna sonos.
Sunt qui sollicita versant cunabula dextra,
Et cantu somnos conciliante ferunt.
Dormi, Pupa, canunt, dormi formosa quietem;
Auspice te terris dicitur orta quies.
Dormi, Pupa, potes lentum dormire soporem;
Peruigil in curas est Deus ipse tuas,
Pupa, potes longas impune quiescere noctes,
Ille tuus noctis fædera nescit Amor.
Seu referas vigiles, somnoseu claudis ocellos,
Semper in aspectu figitur ille tuo.
Nocte, dieq. vigil pro te tuus ardet amator,
Non glacies, calidam non leuat vmbra facem:

Sæuit iamdudum tacito sub pectore vulnus;
Et face perpetua corda perusta calent.
Olim magnanimo placuisti, Diua, Tonanti,
Cum nondum nato luderet ore dies.
Non dum cælestes gyro tornauerat orbes;
Picta nec in summa fixerat astra plaga.
Nec stabilem firmo suspenderat aggere terram;
Nec fluuios agili iusserat ire fuga.
Margine littoreo nec clauserat Amphitriten,
Saxa nec Alpinis egerat alta iugis,
Cum tibi diuinos genitor deuouerat ignes;
Et potior dij pectoris ignis eras.
Quin etiam vasti cum fines explicat orbis;
Non sine te vasti constitit orbis opus.
Tecum terrarum moles stetit, æquora tecum
Intersusa suis intumuere vadis.
Tecum præcipites soluerunt flumina cursus;
Et pennas rapidi corripuere Noti.
Sidereo tibi flore nitens vernauit Olympus;
Et tibi floricomo sidere risit hnmus.
O nimium dilecta Deo, cui prima laborum
Argumenta sacer sponte dicauit Amor.
Ante tuos ortus, & lampada lucis eoæ,
Te tuus in gremio molle fouebat Amor:
Idem materna teneram dum format in aluo
Immunem patriæ sordis abire dedit.
Mox & nascenti cælesti robore cunas,
Et facili primos construit arte toros.
Ergo tranquillum dormi bona pupula somnum
Otia non alius tam bona somnus habet
Irradias picto melior Thaumantias arcu,

Et



Et noua compoſita fædera pace refers.
Bella vides totis miſceri turbida terris,
Et trepido fortes feruere Marte duces.
Hinc Acheron mouet arma ferox, hinc pugnat olympus,
Mortales illinc conſeruere manus.
Implacidæ ruptis concurrunt legibus vrbes,
Et toto Mauors impius orbe furit,
Vndiq. funeſtæ ſubeunt in Tartara prædæ;
Et Stygis effuſis purpurat vnda vadis.
Humanæ paſſim cumulantur ſtragis acerui,
Et cædes inter torua Megæra fremit.
Tu bellis poſitura modum, mitiſſima virgo,
Tartareo Manes ſub Phlegethonte premes.
Tu cælo terras concordi fædere iunges,
Irrita quò vindex fulminis ira cadat.
Te duce Bellonæ furor occidet, & volet vltrò
Tuta ſub auſpicijs pax volitare tuis.
Dormi tranquillam formoſa puella quietem:
Iſta quies terris otia prima feret.
Pupa vides, quanto tellus ſub faſce laborum
Prona fatigato vertice triſte gemat?
Vrget adhuc miſerâ patrius dolor, vrget egeſtas
Turpis, & antiqui criminis vrget onus.
Excute, namq. potes feſſo mala pondera dorſo,
Et graue diſcuſſâ lubrue mo'e iugum.
Vindice te fugiant peſtes, & triſtis Erinnys,
Monſtraq. terrarum depopulata ſinus.
Mollia pacato colludant otia vultu,
Et volitet toto molliter orbe quies.
Dormi mellitum, mellita puella ſoporem,
Iſte ſopor dulcis pignora mellis habet.

Aſpicis vt latè terras infecit amaror
 Felleus, & pleno labitur amne liquor?
Miſcet amaritiem triſtis mors improba ſucco;
 Et necis inſuaues ſpargit inulta dapes.
Hinc Aconita virent, folijs hinc Taxus amaris;
 Fæda venenato pocula rore liquat.
Nuſquam mella fluunt, tumidis ſed liuida riuis
 Flumina vipereo turgida felle virent.
Vndiq. lactentes ſerpens malus inficit herbas;
 Nequa ſalutares afferat herba dapes.
Pupula mellitum dormi mellita ſoporem
 Vna potes gratas reddere mellis opes.
Ambroſiæ tibi vena ſalit, tibi nectare puro
 Dulcior Hyblæo ſtillat ab ore liquor.
Ingratos ſuccos, & amaræ pocula Myrrhæ
 Sola tuo, virgo, tergere lacte potes.
Ipſa dapem terris olim dabis, vnde fugatus
 Ilicet in ventos omnis amaror eat.
Vnde ſacræ dio dulceſcant nectare menſæ,
 Et ferat ambroſias nobilis eſca dapes.
Quin & ſidereo latices permixta Lyæo
 Stillabit puro ſanguinis vnda mero.
Hoc adeo de fonte bibet mellita voluptas;
 Et fluet hinc curas tergere vena potis.
Sed iam Pupa, graues ſomno declinat ocellos:
 Supprime dulciloquos nænia blanda ſonos.

AD DEIPARAM


templo ſe præſentantem.

ELEGIA X.

SIue faue: tua templa ſubit formoſa Sacerdos,
Illa tuæ dextræ gloria, cordis amor.
Tota tibi eſt hodie, tibi ſe pulcherrima compſit,
  Certa diu ſacris inuigilare focis.
Gratia virgineo nitidum decus addidit ori,
  Gratia cæleſti pinxit honore genas.
Gratia diuinis accendit corda fauillis,
  Puraq. ſiderea pectora ſparſit aqua.
Ergo ades, aſpiraq. bonus, tibi delige matrem;
  Aſpice num thalamis digna ſit illa tuis.
Hoc amor ipſe iubet: ſed tu, diuine, caueto,
  Ne tibi ſpectanti tela triſulca cadant.
Illius ex oculis tua cum præcordia figit,
  Certa pharetratus ſpicula torquet Amor.
Illius è flauis nectis tibi vincla capillis,
  Ire triumphales cum iubet ante rotas.
Illam quidquid agit, ſuperas delapſa per auras
  Ambit honorata, conſequiturq. Charis.
Seu ſoluit crines, crines decuere ſoluti,
  Seu nectit, nexæ ſtat ſua forma comæ.
Incedit; decet inceſſus: ſedet, alma ſedenti

Aſſidet

Assidet arcanis gratia læta modis.
Muta silet, mutam decuere silentia linguam,
Eloquitur, superos sic reor ore loqui.
Siue bonum supplex in vota lacessit Amorem,
Vota lacessitus sancit amantis Amor.
Seu templi stetit ante fores, patuere reclusæ
Ilicet excusso vecte rigente fores.
Seu patrium placido modulatur pectore carmen,
Dulce patris magni carmen in aure sonat.
Siue polo taciturna, solo seu lumina fixit,
Fixa polo rident lumina, fixa solo
Sponte decet, seu sola Deum veneratur ad aras,
Seu præit alternos molliter ore choros.
Tale coloratis radians in nubibus Iris,
Mille refert vultus, mille decora refert.
Sola puellarum digna est, cui maximus orbis
Erigat æternis aurea templa focis.
Sola suas cui perpetuo cremet India odores,
Mascula cui semper thura ministret Arabs.
Hanc vos cælicolæ vestris inscribite fastis.
Pulchrius hoc cæli non habet aula decus.



AD DEIPARAM

Mox ab Angelo salutandam.

ELEGIA XI.

SEd iã cæleſtes, Erato, referamus amores,
Et ſacra virginei fædera coniugij:
Ardet amãs rector ſuperũ, veniſq. pudicũ
Vulnus alit, viuo carpitur igne Deus.
Omnis ab Iſacia venit ignea cura puella.
Iſacis aurato vulnera crine facit.
Cum videt hanc oculos deiectã fronte modeſtos,
Protinus ex oculis miſſa ſagitta volat.
Cum videt effuſum per eburnea colla capillum,
Certa ſub effuſo vincula crine videt,
Dumq. polo ſupplex ſe ſubdidit illa, polorum
Olli diuinus ſubdier auctor auet.
Et quoties ſuperos in vota vocauit amicos,
Ipſe vocaturos format in ore ſonos.
Donaq. dum poſitas ſolemnia ſiſtit ad aras,
Aſpicit hæc grato lumine dona Deus.
Multa pudicitiæ virtus, & multa recurſat
Lux animo, multus corda laceſſit amor.
Oris honor, morumq. pudor præcordia vellit
Numinis, & ſegnes increpat vſq. moras.
Acceleret decreta Deus, ruat æthere præceps
Maternoſq. volens diſcat inire ſinus.

Hæret

Hæret & ingenuus menti decor; hæret honestas;
Hæret in accenso pectore blanda fides.
Vritur immensum Deus, augescitq. tuendo
Flamma; nec arcanus corda relinquit Amor.
Nil superum cœtus, nil atria picta, nec aurum,
Nec iuuat æternis aula beata choris.
Virginis Isaciæ magis ille in amore moratur,
Quam super æternæ gaudia læta domus.
Illam animo fouet, illam oculis, & pectore toto;
Vix cælum tanti, vix decor omnis erat.
Ergo iam flammæ impatiens, sanctiq. furoris,
Sic sua diuinus vulnera prodit Amor.
Arua Palæstinæ, & Iordanis amæna fluenta,
Et formosa oculis Nazaris ora meis,
O vtinam vestris errem regionibus hospes,
Hospes virginei dum ferar esse sinus.
Mortalem quicumque Deum mirabitur olim;
Ignoscat: mortis iura iubebat Amor.
Mortis Amor dat iura Deo; moriamur, amanti
Mors leuis: haud vllæ sunt in Amore moræ.
Alma parens venio soboles tua, suscipe Numen;
Intactumq. sacro pande pudore sinum.
Hoc quodcunq. viget cæli decus, & decus orbis
Illæsa paries virginitate parens.
Accipe quē tibi tradit Amor, formosa Tonantē:
Aeterni genitrix vna Tonantis eris.
Nunc primum matris cepit decor esse pudicus,
Formaq. deformem nunc habuisse notam.
Mutauere vices pudor, & lasciua voluptas:
Occidit hæc, vires exerit ille suas.
Qui prius amentes nectebat crinis amantes

Nectit amatorem nunc super astra Deum;
Quiq. parum castum vibrabat fulmen ocellus;
Fulmina nunc ictu nobiliore iacit.
Auspice te rerum meliorum surgit origo;
Et sociat terris astra marita fides.
Cælestes, saxo, thalamos mortalis inibit
Nupta, nec infidos sentiet esse toros.
Hæc ait, & dulces animo voluens Hymenæos;
Gaudia connubij iam propiora bibit.
Tandem pennatum compellans ore ministrum;
Fide vigil, nostræ gloria pubis, ait;
Vade: Palæstinos penna pete remige campos,
Qua procul exigua Nazaris vrbe sedet.
Mortales stat ferre vices, adiungere cælo
Terrigenas, ingens pectoris vrget Amor.
Ergo Iessææ fer mollia iussa puellæ,
Quam mihi materno fœdere spondet hymen;
Dic age, dic sacræ veniens in fœdera pacis;
Hospitium niuei præstet amica sinus.
Assuescat titulisq. nouis, magniq. vocari
Numinis haud dura respuat aure parens.
Dixerat, & tantis generosus honoribus ales
Ilicet æthereo tramite carpit iter.
Ille volat: Numen cælo comitatur ab alto;
Et facilem gressu præripit ante viam.



AD

AD EANDEM AB ANGELO SALVTATAM.

ELEGIA XII.

ECce leuis patrio delabitur ales Olympô
Vinctus odorata tempora verna rosa.
Quãtus, io, fulgor rutilis scintillat ocellis!
Quantus ab ambrosio vertice spirat odor!
Phœbe minus primo radias formosus eoo;
Irradias sero vespere Phæbe minus.
Lucifer æquorea quamuis modò lotus in vnda;
Nil tibi fulgoris contulit vnda magis.
Concolor auratis chlamys ardet eburnea flãmis;
Et fluit ad niueos lutea palla pedes,
Aurea Cæsaries argentea colla lacessit,
Quam plicat in lentos mobilis aura sinus.
Ille volans celeres cursu præuertitur Euros,
Et liquidum certo tramite findit iter.
Iamq. super turres, & amicas Nazaris arces;
Præcipitem ducto continet orbe fugam.
Est domus intactæ tectum penetrale puellæ
Parua, nec è Phario marmore structa domus;
Occupat hanc ales, vilem neq. cogitat aulam,
Vix minor æthereis est domus illa plagis.
Fas mihi fas, superi, penitas tentare latebras;
Et tecti dubias transiliisse vias.

Te duce, Diua, tuas molimur dicere laudes,
Huc ades, & vatem per tua sacra refer.
Stat facies angusta loci, breuis area tecti
Terrarum dominam continuisse potest;
Aedibus in medijs fortunatissima virgo,
Cælicolum virgo maxima cura sedet.
Quale decus, Musæ, diæ quæ frontis honestas!
Aut quæ formoso ludit in ore Charis!
Nec stellis idem nitor est, nec floribus idem,
Nec tibi par cælum, nec tibi, Luna, decus.
Nescio quod mortale super decus ora colorat.
Fulgurat æterno proximus ille nitor.
Tale decus nunquam matres videre Latinæ;
Tale nec Isaicæ, turba decora, nurus.
Cōferat huic Esther sua lumina, deprimat Esther
Tincta verecundis lumina victa modis.
Conferat huic pulchri Bethulias oris honores,
Sordebit pulchri pallidus oris honos.
Et Rachel formosa minus, se iudice, fulget,
Virgineas cernit dum radiare genas.
Aspicit hanc Ales, flexoq. repente genu stat
Attonitus, nec quod lingua loquatur habet:
Tandē, Diua, refert, mihi nunc pulcherrima salue,
Salue siderei gloria prima chori.
Te Charites fouere sinu: tibi gurgite pleno
Dia superfusis gratia fluxit aquis.
In mare ceu tumidis decurrunt flumina riuis;
In tua sic cæli flumina corda fluunt.
Nec satis hoc, tecum magni dominator Olympi
Aeterno victus ducit amore moras.
Tecum cælicolum degit pater, & tuus olli
Est

Eſt prior ingenita nobilitate pudor.
Hinc tua mortales leges tranſcendit origo,
Et præit humanæ conditionis opes.
Ne vanos tibi finge metus pulcherrima, neu iam
Inferior titulis conſpiciare tuis.
Numinis interpres adſum: tibi, chara parentis
Nomina ter magnus donat habere parens,
Ille parens rerum, qui lucida ſidera nutu
Torquet, & oppoſito carcere frænat aquas:
Qui Cauro, Zephyroq. & Threijcio Aquiloni
Iura dat, & nimbis, torua procella, tuis,
Ille vteri ſubijſſe tui penetrale repoſtum,
Gaudet, & intactos incoluiſſe ſinus.
Non illum patrijs vis vlla repellit ab oris,
Vnus ad hæc vrget fædera pacis Amor.
Alma parens aſſueſce Deo. Deus in tua lapſus
Viſcera, materni fæderis auctor erit.
Ne vero, ne damna tui tibi finge pudoris;
Integer illæſo ſtabit honore pudor.
Caſtus hymen, ſanctæq. faces. Deus auctor amãdi
Purior intacti pignus amoris habet.
Naſcitur æterna Patris impollutus ab aluo:
An matris niueos polluet ille ſinus?
Huic genitor regnumq. dabit, ſceptrumq. Sionis,
Vt patrium flectat per ſua iura genus.
Ecquis erit tanto qui ſubdere colla recuſet
Imperio? iam iam fræna repoſcit Arabs.
Interea ſuperat ſenſim delapſa per auras,
Implebit caſtos aura beata ſinus.
Illa ſua felix tua lilia proteget vmbra,
Lilia quæ niueus conſerit alba pudor.

Omnipotēs iubet hoc genitor, cui sūma potestas,
Cui stat terra, liquor labitur, aura volat.
Euenient, ne crede dolos, fraudesq. malignas.
Fraude vacant superi, numina fraude vacant.
Quin aliud mirare, nouum, mirabile monstrum,
Quæ sterilis toties audit Elisa, tumet,
Illa grauis, senioq. iacens, & inutilis annos,
Fæta latet sexto mense, futura parens.
Vsq. adeò nihil auctori insuperabile rerum est;
Grande nimis Patris dextera robur habet.
Ergo ne dictis, Virgo, parere recusa;
Anoue: quid dubias protrahis vsq. moras?
Aliger hæc, at Diua metu cui pectore pulso
Hauserat ingenuus protinus ora rubor
Annuit, ad nutus tremuerunt astra, Deusq.
Labitur intactæ Virginis in gremium.

AD DEIPARAM

pergentem in montana.

ELEGIA XIII.

VCite frondosæ cælestia gaudia syluæ,
Gaudia quæ nunquam deleat atra dies:
Montibus in sūmis domibus Regina relictis
Errat, & innocuos vrget ad alta pedes,
Rupe sedet celsa sedes nemoralis, vbi annis,
Iam grauis, & senio ducit Elisa dies.

Illa quidem cæcis indulget clausa latebris,
Et fætum gremio continuisse pudet.
Huc alacris virgo montana per auia tendit,
Et celerat molles per caua lustra pedes.
Dius Amor volucres plantis accomodat alas,
Vt valeat duras exuperare vias.
Dius Amor vastas exæquat calle ruinas,
Nequa ruinosum saxa morentur iter.
Iamq. subit nemorumq. domos, tristesq. latebras,
Nec latebræ puras occuluere faces,
Vadit, vt in medijs incedit Cynthia flammis,
Picta sacro frontem lumine, picta genas.
Aut qualis rutilum dum cogit Phosphorus agmen
Auratum roseo fundit ab ore iubar.
Talis Diua subit, quam mille sequuntur ouantes
Virtutum faciles ad pia iussa manus.
Ingreditur noua syluarum Regina comantum,
Antiquam nemorum lecta piare luem.
Et sacra pollutis inducere numina syluis,
Et stygis insanos exagitare greges.
Iamq. ruunt Fauniq; procul, Satyriq. bicornes,
Fædaq. Capripedes agmina Panes eunt.
Pulsus abit cæcis nemorum Syluanus ab antris,
Naiades humentes deseruere lacus,
Nulla Dryas, nullæ saltus tenuere Napææ,
Omnis at infernas pergit Oreas aquas.
Tunc & syluestrem tigres posuere furorem,
Nec timuit sæuos mollior agna lupos.
Purgantur syluæ, latebræ purgantur, & vmbræ
Agrestes pietas visit amica domos,
Vera fides animata feris magalia quondam

Antraq. dumosis abdita penè rubis
Longa Patrum series seros habitabit in annos,
Et sacer in syluis castra locabit honor.
Has olim latebras, hæc cognita lustra bubulcis
Visetab æthereo limine lapsa fides.
Quin & turbarum fremitus exosus, & vrbes
Ponet in agresti corpora Paulus humo.
Et paribus cælo certans Antonius armis,
Instruet adscriptas ad sua castra manus.
Ne stygias, ne magne heros horresce cohortes;
Tota cohors in te Ditis acerba fremit.
Hei mihi quot simulat vultus! quam tetra ferarũ
Monstra refert! quantas induit ore minas!
Iam lea, iam pardus, catulis iam torua relictis
Vrsa furit, colubros iam rotat hydra suos.
Ah quoties vlulare lupi sub nocte silenti
Auditi! quoties infremuere canes!
Obscæniq. sues rauco strepuere tumultu
Et fixi iaculis ingemuistis apri.
Frustra, nam nulli turbant tua corda fragores;
Diue, nec horrentes fert mala Larua metus.
Spectra fugas Ditis cælo duce. quis duce cælo
Tartareos ausit pertimuisse dolos?
Hinc centum latè turmas ostentat Eremus,
Et sacro passim milite sylua fremit.
O mihi venturos referat si lucifer annos,
Dum volet in syluis castra locare pudor.
Cum pia Relligio nemoralibus abdita lustris,
Lustrabit puris frondea templa focis:
Cum sacras deserta ferent Aegyptia lauros,
Palmaq. florenti surget ad astra coma.

Inte-

Interea quocunq. pedem fert aurea Virgo
Ilicet aurato germine vernat humus.
Sub niueis gestire putes sola florida plantis,
Pronaq. virgineos lambere prata pedes.
Hic frutices, illic subeunt felicius herbæ,
Hic tenerum promunt lilia cana decus.
Pampineas frondosa comas hic explicat arbos,
Hic nitidæ frondes exposuere rosæ.
Omne nemus folijs, iuga floribus omnia rident,
quà rosa, quà violæ, quà noua myrtus olet.
Lacte natant fontes, stillant electra myricæ,
Et passim liquido flumina melle fluunt.
Diua subit, nemorumq. nouos miratur honores:
Hanc specus, hanc fontes, hanc caua lustra canunt.

AD B. VIRGINEM

Elisabetham Salutantem.

ELEGIA XIV.

IN coëunt geminæ felici sidere dextræ;
Quas consanguineo nectit amore fides.
Nobile par matrũ maternos iũgit honores;
Penè pares dispar quas facit esse decus.
Hæc castos tumuisse sinus sine semine gaudet.
Hæc sterilem gaudet pignora ferre sinum.
Ista senectutem commendat, & illa pudorem;

Hæc Virgo fætum concipit, illa senex.
Huic sua laus, solem pura quod condit in aluo;
Huic sua Luciferum quod genuisse datum.
Ornat vtramq. decus sũmis in honoribus impar,
Hæc hominem primum parturit; illa Deum.
I nunc carpe nocens cælestia munera liuor.
Digna refert pietas præmia, digna fides.
Aspice virgineum cumulent quæ dona pudorem!
Cerne, senectutem gloria quanta manet!
Innuptæ nuptæq. simul placuere Tonanti,
Vtraq. sors meritæ symbola laudis habet.
Sed tamen innuptis nuptæ concedite, nubit
Si qua viro spernit nubere nympha, Deo.
O bona quæ casto seruit coniuncta cubili,
O bona quæ nullos nouit amare toros.
Virginitas cælo gaudet desponsa marito,
Solaq. cælesti nectit honore comas.
Illa, pedem quocumq. Deus per sidera ducit;
Insequitur, rapidis ocyor vna Notis.
Illa per æthereos spargit sua lilia campos,
Et superas inter vernat odora rosas.
Virgineo nil lacte videt formosius æther,
Lactea virgineo semita lacte nitet.
Aligerum pharetrata cohors hoc flore virescit
Nobilis, hoc æui tempora longa trahit.
Virginitas nostris olim male cognita terris,
Abnuit humanas incoluisse plagas.
Sed patrias fugit ad sedes, cælumq. petiuit;
Hic sua Parthenius castra locabat honor.
Prima manu mea Diua sacri vexilla pudoris
Erigit, & terris lilia casta serit,

Lilia

Lilia mortales quæ mox intacta per agros
Vndiq. virgineas exeruere comas.
Lilia quæ teneris iam iam demessa puellis,
Ornauere pias, templa pudica, domos.
Aspice votiuas quantum fluit agmen ad aras,
Ire per exemplum turba parata tuum.
O genus ad palmas, inuictaq. prælia natum!
O dignum lauri fronde virere caput!
Intactas Catharina niues iam tingere gaudet
Sanguine iam rursus lacte madere iubet.
Iam ruit in pulchrum pro relligione triumphum,
Et celeres victrix vrget ad astra rotas.
Cæcilis in cælum volat impigra, nupta maritum
Addit virgineis ingeniosa choris.
Lilia pura sacris imbuta cruoribus Agne
Explicat, & mortem victima cæsa domat.
Increpat immanes interrita Thecla leænas,
Tuta pudicitiæ tegmine, tuta fide.
Barbara barbariem Patri concedit, & insons
Pectore, barbaricum nil nisi nomen habet.
Margaris inferni domitrix capita alta Draconis
Conterit, & gemmas nominis inde trahit.
Effossos Lucinda oculos præmittit Olympo,
Nec pro luminibus sidera ferre piget.
Mille tibi famulæ veniunt ad signa cohortes,
Diua, sub auspicijs agmina lecta tuis.
O longum salue terrarum plurima, Virgo,
Gloria, diuinus quam benè signat honor.
Salue perpetuumq. foue iurata pudorem.
Vnam te matrem non vetat esse pudor.

A D B. VIRGINEM

In eius Purificationis die.

ELEGIA XV.

ECce quaterdenũ reuolutis orbibus orbẽ,
Cynthius auratæ detulit axe rotæ.
Ex quo materna prognatũ Numẽ ab aluo
Occupat vmbrosæ rustica tecta casæ.
Surge humil ex antro mea Pieri: nõ decet vmbrã
Semper, & agrestes incoluisse domos.
Festa dies festæ reuocat spectacula pompæ,
Et noua lætitiæ semina versat amor.
Templa Carystæis fulgent innixa columnis,
Et decorant sanctas florida serta fores.
Candidus in pura collucet veste sacerdos,
Et præit arcanas sedulus ore preces.
Sacra vaporatis fumant altaria flammis,
Cæsaq. solemnes imbuit agna focos.
Vndiq. diuinas feruet concursus ad ædes,
Hinc iuuenes, illinc turba senilis adest.
Alma parens tenebrosã oculis vltrò exige noctẽ,
Irradiet solito pulchrior ore dies.
Te vocat orta dies, tibi sidere fulget eoo
Gratior, & puerum suscitat illa Deum.
Alma parens operare Deo: da munera templis
Debita, teq; sacris siste pianda focis.

Auspi-

Auspicijs i Diua tuis, i cælite ductu.
Non deerunt faustæ, si modò poscis, aues.
Ecce tibi niueas Charitum bona turba columbas
Attulit, æthereo lacte nitere putes.
Accipe votiuas statuas quas mater ad aras:
Ritè decent puras munera pura manus.
Quæ vos, quæ genuit felices ora volucres,
Ad dominam nuper quas tulit ales Amor.
Qui flores teneris olim pauere sub annis?
Aut quæ cælestes præbuit herba dapes?
Fortunatæ ambæ, soboles pennata, columbæ,
Virginis intactæ quas tetigere manus.
Illius è manibus vestri decus omne nitoris
Fluxit, & Alpinæ concolor ala niui.
Inuideat vobis volitat quæ crebra per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro.
Inuideat vobis stellatus lumine pennas
Inter picta nitens sidera clarus olor.
Inuideat generosa auium Regina minorum
Fulmina mentito credita ferre Ioui.
Talis erit lymphas propter Iordanis amænas,
Alba super domini lapsa columba caput.
Ite Patri magno munus, precor, ite volucres
Gratius hoc nullum sidera munus habent.
Alma parens age carpe viam, iã templa sacerdos
Pandit, inauratæ iam patuere fores.
Et tuus, ecce, puer somno furatus ocellos
Gestit inæquales ire redire vias.
Gestit, io, patrio Numen se sistere templo,
Templa suum discant vt coluisse Deum.
Ergo sepositam, virgo, super indue pallam
Ornet:

Ornet sidereos aurea zona sinus.
Excute flauentes dentato pectine crines;
Subliget intextas fibula lenta comas.
Circumstent niueum gemmata monilia collum;
Et roseus molli vertice spiret odor. (nos:
Quid loquor ah demens? cultus adhibere profa-
Est scelus. ornatus tu tibi, Diua, tuus.
Vt nullo incedas, virgo, spectabilis auro,
Non minus aurati sideris instar habes.
Vt cadat impexus nuda ceruice capillus,
Non minus artifici pendulus orbe cadet.
Sordeat vt vili tectum velamine corpus,
Et tuus externo cultus honore vacet:
Sic quoq. eris neglecta decens, cælestis & à te
Ipsa etiam discet cultior ire Charis.
Mox vbi deuinctis per eburnea colla lacertis
Pendebit mollis, gemma decora, puer.
Quanta tuis oculis accedet, Diua, venustas!
Accedet roseis gratia quanta genis!
Iuncta Charis iunctos vnà cumulabit amores;
Et gemino maior surget ab ore decor.
Pulchrior à nati radiabit lumine mater,
Pulchrior à matris lumine natus erit.
Tunc mihi quæ menti compar tibi surget imago?
Mentior, an solis lucida tela præis?
Non ita collucet, signum cæleste, virago,
Auricomo Phœbi cum magis igne micat.
Non ita Phœbæis fulget Thetis ignea flammis,
Phœbus in æquoreo dum lauit amne comas.
Sed iam tempus adest solemnes poscere ritus,
Diua subi: templi iam patuere fores.

AD EANDEM AD TEMPLA Pergentem.

ELEGIA XVI.

TEmpla petit virgo. nato quid fiet Amori?
Sit comes, & collo brachia vincta ferat.
Sit, quocunq. parens properabit calle, parentis
Mollis ab amplexu pendeat vsq. puer.
Nulla dies vnquam vestros diuellat amores
Digna parens puero, digne parente puer.
Vester Amor rerum discordes iungit Amores,
Et vester terris sidera iungit Amor.
Ite decus cæli, terræ decus ite supremum,
Quò vos cumq. sacri flaminis aura feret,
Vobiscum Charites, vobiscum mollis Amorum
Pergit ab æthereis lapsa corona plagis.
Diua subi, natumq. foue complexa lacertis,
Quantus ab illius te manet ore decor!
Quidquid agis, formosa, decet, te tollere cælo
Lumina, te terris restituisse decet.
Te Ditis cohibere nigras in vincla cohortes,
Te decet æthereos flectere voce choros.
Incedis, placet incessus: subsistis, & ipsæ
Subsistunt Charites, & requiescit Amor.
A te cælestes orbes didicere moueri,
A te fixa suas astra tenere moras.
A te lapsa polo didicit vestigia virtus.

Aemula suspenso composuisse gradu.
A nato didicere tuo, dum torquet ocellos
  Aurea vibratas astra rotare faces.
Illius innocuo dum risus in ore renidet,
  Picta renidenti germine risit humus.
Dum iacit ille nouos oculis cælestibus ignes,
  Ignea sol didicit spargere tela manu.
Dumq. genæ rutila suffundunt luce rubores,
  Illius è minio subrubuere rosæ.
Atq. vbi nix puro defluxit eburnea collo.
  Inuenere suas lilia cana niues.
Ergo dia parens, & diæ, nate, parentis,
  Ite pares animis, cordibus ite pares.
Quo vos cumq. pedem felici calle feretis,
  Gestiet impressum callis habere pedem.
Pergitis, & passim quà pergitis, explicat herbas,
  Explicat auratas florida terra comas.
Tota cohors florum pedibus subiecta decoris
  Mollia festiuis gaudia ducit agris.
Et quæ diuinas contingunt gramina plantas,
  Oscula dant plantis, & decus inde ferunt.
Pulla serenato decedunt nubila cælo,
  Et fugit ad Stygios tristior vmbra lacus.
Flumina præcipitem sistunt labentia cursum,
  Et frænat volucrem mobilis aura fugam.
Et sua sunt terris, sua sunt & gaudia cælo,
  Ipsa noua passim sidera luce micant.
Omnia progeniem mirantur, & omnia Matrem.
  Vberior gemino manat ab ore nitor.
Pergite cælestes animæ, date gaudia circum,
  Gaudia quæ veniens ebibat vsq. dies.

AD EANDEM

In eadem re.

ELEGIA XVII.

Iste parens gressum, quo te rea crimine damnas?
Cumq. tua gressum siste parente puer.
Pergitis ant quæ labem detergere noxæ:
Noxa sed in vestro pectore nulla sedet.
Ah celerem cohibete pedem. quis gurgite solem
Abluat, vt tetram diluat vnda luem?
Necquicquam maculæq. nigræ, sordesq. piantur,
Cum niueus nullo crimine sordet honor.
Sancte puer, quæ te tenebræ, quæ nubila velant,
Auspice quo cepit purior ire dies?
Alma parens, quæ tanta tenet tua pectora labes,
Immunis labis cui decor omnis adest?
Sancte puer, tibi quãtus inest ab origine candor!
Patris ab intacto pectore quantus honor!
Alma parens, tibi quanta sacro de fonte venustas!
Prolis ab aurato lumine quanta venit!
Collatus vobis cadit ilicet occiduus Sol,
Lunaq. natiuum cælat opaca iubar.
Purior est cælo vobis nitor, & nitor auro
Purior; astrorum purius igne decus.
Sancte puer, te mente pater profudit ab alta,

Im-

Immensas niuei luminis inter opes?
Alma parens te blanda Charis genitricis ab aluo
Excepit, molli continuitq. sinu.
Sancte puer te fouit amor complexus amantem
Sanctior integri pectoris hospes amor.
Alma parens, tibi virgineis admota labellis
Lactenti virtus vbera prima dedit.
Sancte puer, tibi diuinos afflauit honores
Gratia sidereos inter adulta choros.
Et tibi, dia parens, plenis vberrimus vndis
Fluxit ab immenso gurgitis amne decor.
Integritas vos alma decet, vos candida morum
Effigies, flammæ vos melioris amor.
Ergo quò properatis, io, duo maxima mundi
Lumina? quas sordes deposuisse iuuat?
Sistite: quid vano iuuat indulgere labori?
Penè reum culpæ pæna soluta facit.
Quid loquor? ite boni, patrijs succedite tẽplis:
Expiet ah vestrum crimina nostra decus.
Hauriat hæc olim veniens exempla vetustas,
Et dicat, vitæ sunt monumenta meæ. (aras
Dum loquor; ecce patent postes. age Numen ad
Siste parens, genitor pignora cara vocat.
Nonne vides, vt sponte nouos traxere nitores
Templa coruscantes eiaculata faces?
Clarius irradiat pictis laquearibus aurum,
Clarius accenso lampades igne micant.
Candet ebur candore tuo, nitidumq. refulget
Luce repercussus versicolore tholus.
Sancte senex assuesce Deo, Deus ecce benigno
Ore, nouas infert in tua templa faces.

Aspi-

Aspicis æterni felicia signa decoris:
Ista decent dium lucida signa decus.
Sic oculos, sic ora Deus, sic sidere frontem,
Sic solet augusto pingere flore genas.
Excipe maternis promissum Numen ab vlnis;
Haud aliud collo dulcius hæsit onus.
Excipe: quid trepidas? tuus est puer: excipe solers:
Disce fouere Deum pectore, disce sinu.
Excipis, & blandos vltrò furaris amores;
Ah tibi quos sensus indit Amoris Amor!
Imbutum nimia dulcedine penè labat cor,
Penè simul discit viuere, penè mori.
Ah ne pone senex complexum pectore Numen;
Si properas vitam linquere, linque Deum.

AD EANDEM

In illa verba, nunc dimittis seruum tuum Domine.

ELEGIA XVIII.

Alma tuum concede seni Regina puellũ;
Hunc sine nunc auido vinciat ille sinu.
Iam dudũ lacrymis, iam dudũ questubus auras
Sollicitat; votis quælibet ara calet.
Ah quibus ille fouet teneros complexibus artus!
Nunc vbi fas puerum sustinuisse Deum?

Lan-

Languescit caro senior defixus Amori,
Non benè fortunae conscius ipse suae,
Tu quoq. languescis genitrix, & vtrumq. tuendo,
Aeternas oculis fugis vtrinq faces.
Fax eadem, fax vna, trium tria corda perurit:
Hinc puer, hinc senior deficit, inde parens.
Fons idem sacri puer est, & fomes amoris,
Ipse bonus flammas ventilat, ipse facit.
Quasq. facit patitur flammas, quos excitat ignes
Ipse subit; taedis vritur ipse suis.
O Amor, vsq meas magis, ac magis vre medullas,
Fac mea caelestis viscera flamma cremet.
At senior, cui dulcis Amor magis ossa fatigat,
Pectora cui subito fortius igne calent,
Impatiens flammaeq. nouae, sanctiq. caloris,
Edidit hæc blandis dulcia verba modis.
Nunc adeò formose puer, quo principe terris
Attulit optatae faedera pacis Amor.
Nunc sine me post longa meae dispendia vitae,
Pacis in amplexu non sine pace mori.
Viximus, & seros viuendo duximus annos,
Vltima nunc fesso sunt mihi vota, mori:
Vota, mori, mea sunt. moriar, te Numine viso;
Quae venit optanti mors, satis apta venit.
Tunc mihi vita fuit, tunc solis gratia tanti,
Vt cuperem longas continuare moras:
Cum tu, care puer nostrae solatia vitae,
Nondum luminibus conspicerere meis;
Cum spes fida tui mihi sidera fingeret oris.
Et cupidae menti conspicienda daret.
Nunc quando videre tuos mea lumina vultus,
Lætaq.

Lætaq. diuinas corda bibere faces ;
Dum teneros auidis foueo complexibus artus ;
Mille labris librans oscula, mille genis,
Quid segnis moror hãc animam?da tradere vitae
Lampada, da lethi currere posse vias.
Claudantur longo felicia lumina somno,
Lum na conspectu facta beata tuo.
Vrge importunam suprema ad fata senectam ;
Blande, senectutis meta suprema, puer.
Nulla meas potiora manent spectacula luces :
Ad maiora senex gaudia nulla vocor.
Vidimus, & viso te, pupule, vidimus vnà (opes:
Quotquot habet tellus, quotquot Olympus
Tu decus omne tuis, tu rerum gloria diues,
Nec sine te nostri fulgurat orbis honor.
A te fulgorem quo fulgurat accipit aurum,
A te quo niteant sidera lumen habent.
Te sine, nec gemmae, nec purpura tincta veneno,
Nec nitet Eoo lucida bacca mari.
Te sine nec veris, nec florum gratia ridet,
Vnus odorati munera veris habes.
Ni tua forma micat, micuere corallia frustrà,
Et rosa deiecta languida fronde cadit.
Maiestas te blanda decet, te dia venustas,
Pictaq. sidereo murice laena decet.
Instar habent oculi stellarum, lampadis instar ;
Et tamen hoc instar grandius instar habet.
Nec tuus aurata fulget sine luce capillus,
Lactea nec niueo colla nitore vacant.
In vultu, formose, tuo sua contulit æther
Sidera, quò cælo candidiore micent.

Huc

Huc ſubeunt Phœbiq. faces, Phœbeſq. nitores,
Nequis in alterius fulgeat ore nitor,
Huc campi decor omnis, & omnis gratia collis
Inſluit, & quicquid ſpargit odoris ager. (rhus
Hic Amaranthus olens, hic ſuaue rubens Hyacin-
Germinat, hic pura pullulat herba coma.
At pietas animum fibris amplexa pudicis
Ornat, & ornatum poſsidet alma ſalus,
Alma ſalus, fugat humanas quae candida peſtes,
Et ruit ad ſtygios horrida monſtra lacus.
Alma ſalus, mortale genus quae vendicat aſtris,
Nec ſinit infernis ſuccubuiſſe dolis,
Alma ſalus Pater aetherei quam magnus olympi
Vltrò ſidereae miſit ab arce plagae:
Ante ipſos populorum oculos, ante ora parentũ,
Extremamq. mei funeris ante diem?
Tene, ſalus, video terrarum? tene lacertis
Amplector vitae gaudia ſera meae?
Necdum vita fugit: necdum vagus errat in auras
Spiritus, & facili permeat aſtra fuga?
Care puer, patriae decor, & decus omne Sionis,
Gentis Idumææ gloria prima puer.
Hactenus annoſam iuuit producere vitam,
Vltima nunc tantus tempora ſignet honor.
Quae mea, quae poſthac maiora ad viſa referuem
Lumina? nil maius quod tueantur, habent.
Haec ait, & tenerum matri concedit Amorem,
Veliceat vita deſtituente mori.

AD EANDEM

Ad ea verba, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.

ELEGIA XIX.

Lma parens, quam triste manet tua pectora vulnus!
Nunc ego te surdis auribus esse velim.
Tela senex acuit Solymæus, & cita linguæ
Fulmina, quò sæuo victa dolore cadas.
Nescio quid tremulis immurmurat acre labellis;
Ah quantum nocui guttura fellis habent!
Noxia mortifero minus æstuat herba veneno,
Tela minus tetro sparsa liquore nocent.
Ecce, parens, tuus, inquit, Amor, tua cura puellus
Cædis inhumanæ victima cæsa cadet.
Ille, nefas, datus in sæuam, te Matre, ruinam,
Sponte ruinosum mortis adibit iter.
Ah scelus; armorum signum immutabile, fixum,
Mille dabit telis pectora, mille latus.
Heu pietas, heu dia fides, nil testibus astris
Proderit æterni Numinis esse genus.
Nec genus esse tuum virgo feret atra malorum

Saucius, extremi funeris ausa feret.
Arma fremũt Solymæ, fremit impius arma satelles,
Et nouat Isacius tela retusa furor;
Vnum pro cunctis petitur caput, obruit vnum
Missa per innumeras crebra sagitta manus.
Heu furor, heu rabies tristis bacchatur Erinnys,
Bacchatur stygio fusa caterua lacu.
Armorum seges atra nitet, nitet æneus vmbo;
Hastaq. diuinum figere nata latus.
Tempestas non vna furit, nec ferreus vnus
Imber, agit lacerum multa procella Deum;
Heu video, facinus, manibus post terga reuinctũ
Alme per Isacias te procul ire vias.
Verberibus iam mẽbra lacer, iam vulnere malas,
Ostentas madidas sanguinis imbre comas.
Formosæ periere comæ, quas Phœbus Apollo
Vellet Apollinei verticis esse decus.
Ecce ferox lictor cælestia pectora nudat,
Nudaq. vibrato tergore membra ferit;
Hoc superi taciti spectabitis, an cadet vltrix
Tempestas miseros perdere nata reos?
Me miserum! quantus cæsis cruor artibus vndat!
Turbida quam niueos inficit vnda sinus!
Discerptos artus, diuulsaq. membra flagellis,
Tergaq. funestis dilacerata modis,
Aspiciet quicumq. truces mirabitur iras,
Et frustra patrio quæret in ore Deum.
Crudelis lictor, crudelia lora, lacerti
Crudeles, iudex barbare, dire furor.
Hoc tantum valuisse nefas? heu parcite cælo,
Parcite; cælestes appetit iste furor.

Mentior? an spinis horret paliurus acutis?
  Heu capiti insonti dura corona nimis.
Sidera vix tanto dare debita serta capillo,
  Auricomæ solis vix potuere faces.
Tuq. dabis paliure? rubus, rubus aurea transit
  Tempora? quam aurum spina recludit iter!
Proh pietas, etiamne trabes? etiamne cruentis
  Imponunt humeris flebile mortis onus?
Ite truces dirum montis superate cacumen,
  Excidat ex oculis barbara pompa meis.
Ferreus in sæuos assurgat malleus ictus,
  Horreat armato bellicus ære chalybs,
Liuescant fixis immania vulnera clauis,
  Vulnera perq. manus obuia, perq. pedes:
Vos quibus hæc spectare datũ miserescite, Diui;
  Mi Lachesis vitæ stamina ducta secet,
Mene videre Deum duro sub fasce gementem?
  Mene caput sparsum sanguine? mene latus?
Quid tibi, Diua parens, spectanti talia vulnus,
  Quisue sub arcano pectore sensus erit?
Alma tuum nunc ò longum complectere natum,
  Dũ vacat, heu gemitus tempora summa petant.
Supplicijs vltrò crescentes destinat annos:
  Prima dedit matri tempora, sera neci.
Lusibus hæc teneris, & amoribus aptior ætas:
  Quæ subit assiduis fletibus apta venit.
Sparsa tuæ da lacte parens nunc oscula proli;
  Siqua dabis posthac, sparsa cruore dabis.
Ah malè sit vobis gaudentes cæde cateruæ,
  Quarum vi cara prole fit orba parens.
Quid puer hic insons in vos committere tantũ;

Quid dignum tanta clade peregit Amor?
Ille malas pestes, & acerba pericula lethi
Victor ad infernas ire coëgit aquas;
Et tumulis clausos iussit consurgere manes,
Rursus & antiquas incoluisse domos.
Ah miseri quos nunc animi furor impius vrget
Funestæ dominum supposuisse trabi.
Tempus erit cum prisca Deo commissa luetis,
Debita Tartareis victima nigra focis
Hæc senior, vulnusq. premit sub corde, sed illo
Penè senex cecidit vulnere, penè parens.

AD B. VIRGINEM

De amissa prole.

ELEGIA XX.

Iqua tuis oculis lacrymarũ copia fluxit,
S Ad fletus iterum, mæsta Thalia, redi.
Virginis indignos comitamur carmine questus:
Ah nimium questus cepit amare parens!
Illa quidem lacrymis dudum tabescit amaris,
Et multo roseos proluit imbre sinus.
Nec veniente die, nec decedente querelis
Abstinet, infixus pectore sæuit Amor.
Sæuit Amor, mixtusq. dolor dum prole fugaci
Penè parentis abit viscere vita fugax.

Inci-

Incipe sollicitos matris dicamus amores.
  Audiat, & gemitus integret illa suos.
Iam ritu perfuncta sacro pulcherrima virgo,
  Ceperat ad patrias læta redire domos.
Templa valete, vale tellus mihi cara Sionis,
  Corpore non animo iussa valere meo.
Dixerat, & sine prole parens ignara malorum,
  Sponte peregrino calle legebat iter.
Infelix, quod si vulnus quam triste paratur
  Nosset, & incautam quanta procella manet!
Verte parens oculos: ne te tuus auferat error;
  Natus abest: moneo, lumina verte parens.
Ah quoties vertisse voles, cum te via porrò
  Deferet, & Solyma sistet ab vrbe procul.
Sed frustra vertisse voles, tunc mittere voces
  Scilicet, & fletus iungere tempus erit.
Nūc vbi prima moues vestigia, comprime gressus
  Dum licet, & nato consule, Diua, Deo.
Cerne tuum siquà profugum speculeris Amorē,
  Nescio quas latebras deuius ambit Amor,
Immixtum ne rere rudi per compita vulgo,
  Ingenio vulgi diffidet ille rudis.
Diffidium meditatur: amat tua corda sagittis;
  Scilicet & curis sollicitare puer.
Siste pedem; ni sistis, Amor tuus auius ibit,
  Auius; at perdet peruius ossa dolor. (dit,
Quid loquor heu frustra? genitrix sine prole rece-
  Nescia se tanti vulneris esse ream.
Ad patrias sedes iter est. comes additur vnà
  Affixus lateri coniugis vsq. senex.
Et iam longarum spatium dimensa viarum,

Pene subit notas cum seniore domos.
Cum patuit subitò deserti pignoris error,
Vna puer caræ cura parentis abest.
Hac genitrix, illac genitor sua lumina voluunt,
Per iuga, per calles, per sata, nullus erat.
Nullus erat, referunt iterum vestigia retrò,
Et loca perlustrant obuia; nullus erat.
Quin & iactantis respondet vocibus echo,
Et caua subsultant culmina; nullus erat.
Quid faciant, rursumne domos, Solymæaq. rursũ
Templa petant, puero cognita templa Deo?
Vesper adest, cælumq. nigra caligine velat.
Et malè nocturnum fœmina carpit iter.
Turba redux callem terit obuia, sed negat vsquã
Vidisse erronem turba rogata Deum.
Quis scit an antetulit gressum, tectoq. resedit?
Est equidem pueri præripuisse viam.
At consanguineum præcessit longius agmen.
Quis scit an illius pars erat ille globi?
Spes hæc sola fouet genitricem. credula semper
Res amor est. præceps ad sua tecta volat.
Tecta suo sed Amore vacant. tunc excita rursus
Sponte pedem tota non semel vrbe refert.
It veluti venatoris confixa sagitta
Cerua relabentem quærere fontis aquam.
Frustrà, nam tota puer exulat vrbe, nec illum
Aut domus, aut crebræ detinuere viæ.
Nec reducem puerum cari videre propinqui,
Vidit amicorum nec miserata cohors.
Tum vero spes omnis abit, tunc muneris expers
Vita sub inuito pectore lenta sedet.

Mater abit, materna ferox præcordia luctus
Occupat, & dirus deuorat ossa dolor.
Ah miseram, quàm cura coquit, quã triste fatigat
Incertum quò sub sidere vita fugax.
Ah quanto rerum deiectum culmine mæror
Excipit, & sæuis torquet imaginibus.
Illa iacet ceu concha maris, quæ fraude maligna
Amisit grauidi gemmea dona sinus.
Aut qualis nox atra, faces cui surpuit omnes
Intempestiuo missa procella Noto.
Aut veluti modò lætus ager, cui turbida grando
Decussit virides imbre fremente comas.
Interea cælo tenebras, tibi Diua dolores
Nox vehit, augetur nocte iuuante dolor.

DEIPARAE QVESTVS

Ob amissam prolem.

ELEGIA XXI.

NOx erat, & gemino noctem tunc sole carentem
Densior obscuro presserat orbe nigror.
Alma parens oculos lacrymis suffusa decentes,
In tenebris soles flet cecidisse duos.
Flet proprio quòd sole caret, flet mæsta quòd ipsum
Occiduo solem quærere sole nequit.
Sola domo mæret vacua, sint omnia quamuis

Tuta domi, desunt omnia, natus abest;
Exul diuinus puer est, tulit omnia secum,
Qui caret illius lumine, sordet honor.
Absentem genitrix absens compellat Amorem;
Ni redeat, frustra pax fugitiua redit.
Illum ni videat quidquid lux viderit, odit;
Ni teneat, vitæ dona tenere piget.
Illius in curas omnis se cura resoluit:
Quæ sine prole fluunt tempora, dura fluunt:
Mille animo occurrũt simulacra, & mille recur-
Effigies: fingit mille pericla timor. (runt
Siue tener Solyma puer errat in vrbe, timentur
Pectora Marmaricis asperiora feris.
Quis tecto excipiat? quis mollia stragula ponat?
Quæ paret assuetas hospita dextra dapes?
Officio diuina pio quis corpora curet?
Forsitan in media secubat ille via?
Forsitan & pluuias, & iniquos excipit imbres?
Quis scit an in gelida corpora sternat humo?
Et ventos timet imnites, grauioraq. ventis
Corda, parum fidos nectere nata dolos.
Siue puer vacuis spatiatur solus in agris,
Hæc etiam matri cura timenda venit.
Quotquot habẽt mõtes, quaecũq. pericula syluae,
Occurrunt nato tot subeunda suo.
Monstra, ferae, rupes, & praecipites anfractus,
Lapsaq, veloci flumina rauca fuga.
Magnus amor vel tuta timet. nunc illa fragores,
Nunc voluit tri fida fulmina missa manu.
Nocte puer sola quid agat desertus in acta?
Nocte ruunt vrsi, nocte Leæna ruit.

Nocte lupus saeuit: Strix horrida nocte silenti
Immulget teneris vbera dira labris.
Nocte viatorem spoliat praedator inermem;
Nocte fremunt rabidi, turba proterua, canes;
Nocte coit gelidis nix indiscreta pruinis:
Nocte tonat nigro grandius axe polus.
Nocte tumet saeuũ grauius mare: nocte procellae;
Nocte nocent vmbrae, flumina nocte nocent.
Ah ne nocturnus puerum rigor vrgeat: ah ne
Insultet pluuijs frigidus imber aquis.
Ah ne saxa pedem lacerent subiecta tenellum;
Neu feriat nudum spina cruenta latus.
Ah ne diuinum sitiant fera monstra cruorem.
Nequis inhumano saeuiat ore leo.
Haec adeo moestis genitrix premit anxia curis;
Multaq. virgineos obruit vnda sinus.
Cum subito crepuere fores, ruit excita Mater;
Forsitan ad tecti limina natus adest.
Ah miseram, cadit in vacuos spes irrita ventos;
Stridula qui pulsat limina, ventus erat.
Nox ruit interea, caenaeq. renunciat horam;
Caena tamen matri ponitur vna, dolor.
Scilicet illa famem genialibus exiga escis,
Quis scit an & nato nulla sit esca suo?
Illa toro molli languentia membra reponat;
Egelidum nato praebeat herba torum?
Qua licet absentem genitrix comitetur Amorem;
Lugeat. haec absens faedera sancit Amor.
Haec animo sedet, haec maestae sententia menti.
Non dape, non vlla velle quiete frui.
Donec, nate, tuos videant mea lumina vultus;

Et Deus ipse, locum quantus super astra videtur
Caelicolis, praesens saepe vocatus adit.
Stat genitor multa quem maiestate verendum
Ter face, ter flamma, ter niue fulgor obit.
Tempora tergemina surgunt redimita tiara,
Et centum geminum spargitur ore decus,
Consequitur iuxta soboles genitoris imago;
Sic oculis, toto sic micat ore pater.
Par vultus ambobus honor; par forma duobus;
Vna vides, quem vis ora gemella vides.
Hinc nati, Patrisq. reciprocus ignis amantum,
Vnus ab amborum pectore spirat Amor.
Et Deus est qui spirat Amor, nec Numine dispar;
Numen idem, vultu compare, luce pari.
Hic subit, inflexoq. parens maestissima vultu;
Sunt, ait, haec nato nota sacella meo.
Hic puer ante sui quondam dilecta parentis
Oris dedit blandis mollia vota modis.
Hic suetus vigiles orando ducere noctes,
Scilicet, & nocti continuare dies.
Et nunc ignotas errat fugitiuus in oras;
Heu dolor, & matris limina nota fugit;
Summe pater, cui vota puer tuus, & meus olim
Aede sub hac vultu supplice saepe dedit.
Fac iterum tua progenies tua tecta reuisat:
Has iterum reducem coge subire fores.
Et tu nate patris magni cognata potestas,
Tu meus es, matris tu rege vota tuae.
Tu mihi te reddas; nam quid procul auius erras?
Ah celer in matris, nate, recurre sinus.
Flāma vigil, bona flamma, pios quae sufficis ignes,

Igne tuo puerum fortius vre meum.
Vre vagum, & cohibe, mea dũ fugit ora puellus;
Sentiat hospitium, quodlibet esse nocens.
Non illi sine matre nemus, non littora ponti,
Non placeant superis templa dicata choris.
Seu volet ire mari, patriam mare pellat ad vrbẽ,
Seu terra, tellus nulla sit apta fugae.
Siue petet latebras, latebris prodatur apertis,
Seu syluas, ceptum sylua moretur iter.
Erronem nec lustra ferant, nec saxa vagantem;
Saxa decet teneros detinuisse pedes.
Non molles faueant aurae, non ventus eunti;
Sol radios, cursum candida Luna neget.
Furtiuum quocumq. gradũ per prata, per agros
Mouerit, instabilem tardet arena gradum.
Hæc precor, haec opto faueas bonus ignis amãti
Ignis Amor, gestum dirige matris Amor.
Ire iuuat, natumq. sequi, iam forsitam horror
Cesserit, & laeto rideat ore dies.
Dixit, & excussis explorat Diua fenestris,
Siqua renidenti lumine surgit eos.
Cuncta suis sed fixa locis stant astra, nec vsquam
Pronicr admissos Cynthius vrget equos.
Infelix; iterum redeunt lamenta: minatur
Eurus, & Arctoo stridet ab axe furor.
Sæpe illa Auroram, saepe est affata morantem
Luciferum, celeri voluat vt axe rotam;
Saepe parens magno concepit vota parenti,
Turbine ne puerum verberet aura suum.
Saepe timet tenebrosa sui ne nubila cordis
Impediant, aucta nocte, redire diem.

Quin

Quin & inexhaustos quos fundit lumine fletus
 Hos etiam pluuias gignere posse putat,
Et suspiria ventorum miscere procellas,
 Et gemitus tonitrus posse ciere timet.
Quid nō suadet Amor? vano quoq. sæpe tumultu
 Corda quatit, vano permeat ossa metu.
Stabat in æde procul nati torus, aspicit illum
 Protinus, & curis anxia mater adit.
Incumbit, lacrymisq. genas aspersa madentes;
 Hæc tua sunt, inquit, strata relicta, puer.
Reddite commissum viduata cubilia pignus;
 Reddite, quò vestrum nunc decus omne fugit?
Strata meus puer hæc olim nocturna fouebat,
 Quæ nunc heu vacuo stant malè fulta toro.
Infelix torus, infelix sine pignore mater,
 Et sine sole dies, & sine luce domus.
Felix vna meum quæ nunc habet ora puellum?
 Si tamen hospitij iura benigna dedit;
Ni dedit infelix. nam quæ sua gaudia nescit,
 Non equidem felix dicier ora potest.
Hei mihi, quid cupio? quo mēs mea fluctuat æstu?
 Vix meus in votis nunc sibi constat amor.
Hospitiumne tibi fidum, fugitiue, requiram?
 Et nimium faciles ad tua vota vias?
Scilicet vt felix alienis otia terris
 Ducere deserta, nate, parente velis?
An magis infidamq. fidem, tectumq. malignum,
 Et dubios calles & fera cuncta precor?
Vt celer ad patrias redeas eiectus arenas,
 Solaq. desertæ lumina matris ames?
Heu timeo, cupioq. parens, nec barbara nato

Terra, nec hoſpitio fida ſit vlla meo:
Ad matrem redeat, matrem petat, vna meorum
Votorum, Superi, ſumma ſit iſta precor.
Dum fugit, omne fugæ deſit mare, littora, cælum;
Dum redit ad reditus quælibet aura iuuet.
His adeò miſeranda parens dum fluctuat vndis,
Iam maris ex vndis Lucifer ortus erat.

AD EANDEM

Sub eodem argumento.

ELEGIA XXIII.

NVx aderat ſine luce, dies ſine ſole rubebat
Decolor, & mœſtis pallidus ora modis.
Quale ſolet ſyluis inter deſerta ferarum
Languida ſuppreſſo ſole nitere dies.
Regina auratam vt primum exalbeſcere lucem
Vidit, & eoæ lampadis ire iubar,
Sicut erat ſuffuſa genas; incompta capillos;
Et malè maternos firma dolore pedes;
Egreditur: ſtat luſtra ſuum per inhoſpita natum
Velle ſequi, patrias ſtat procul ire domos.
Seu frangenda maris ſint cærula, cærula Virgo
Franget, & æquoreas tuta ſecabit aquas.
Seu ſcandenda iugi ſint culmina, culmina Mater
Scandet, & ignotum certa ſubibit iter.
Addit Amor vires; lacrymas quoq. præuius ignes,
Iactat,

Iactat, & accensam ventilat ante facem.
Ille regit gressum, sed non regit ille dolorem;
Fræna pati nimius nescit acuta dolor.
It senior, paribusq. comes vestigia curis
Figit, agit stimulis par dolor, vnus amor;
Iam gemitu, iam cuncta fremunt singultibus, & iã
Flebile nescio quid concaua saxa sonant.
Nate, parens, inquit sanctum mihi nomẽ, & omen
Te sequor, errantis dirige matris iter.
Quò trahis incertam? quò te, méa vita, requiram?
Calle sequar gressus quò fugitiua tuos?
Mene fugis? per ego hos fletus, nomemq. tuũ te,
Nate, per hæc olim viscera cara, precor;
Siste fugam. nam quo tandem rea crimine dicar
Aspectum genitrix demeruisse tuum?
Dic, matris bona flamma puer, dic, vna parentis
Cura, quibus terris te peregrina sequar?
Dic vbi te vesper serus videt? aut vbi primus
Aspicit eois Lucifer albus equis?
Nocturnus qua parte fugis! qua parte diurnus?
Dic vbi luce trahis? dic vbi nocte, moras?
Ne matrem frustrare tuam, ne falle sequentem;
Sed mage da certo tramite posse sequi.
Dulce decus matri quondã, nunc vulnus acerbũ,
Hoc saltem matri dic vbi, pupe, lates.
Nam licet extremos teneas fugitiuus eoos,
Inuisus nobis nullus Eous erit.
Sithoniasq. licet profugus peruaseris oras,
Aspiciet nostros Sithonis ora pedes.
Quin altum quamuis superaueris exul Olympum,
Forsan Olympiaci culminis hospes ero.

Dic tantum quo mater eat, leuis ibit, & omnes
Percurret longas incomitata vias.
Hæc meus audet Amor, fluuios tranabit, & æquor
Tutus, inacceſſum nil ſibi credit Amor.
Audis, nate, tuam genitricem ſcilicet audis,
Maternuſq. tua queſtus in aure ſonat.
Es Deus, & quamuis mortalibus auribus abſis;
Numinis imperio non potes eſſe procul.
Da matri reſponſa tuæ, dic, pupule dulcis
Quæ tumet aſpectu terra beata tuo?
Dic vbi nocte cubas, vbi ſole calente moraris?
Te ſine ſtat viduam nolle redire domum.
Nam me quid tectum patrium iuuat? exulat vnà
Noſtra domus, tecum tu mea tecta rapis.
Et pudet, heu pudet errantem per luſtra puellam
Ire, pudet latebris inſeruiſſe pedes.
Sed tuus vrget Amor, niſi te, mea vita, reuiſam
Quo me cumq. dolor iuſſerit ire, ferar.
Si pudor eſt, vltro materno, Nate, pudori
Conſule, fac redeat, te redeunte, parens.
Ni facis, antra licet teneas puer, antra tenebo;
Si latebras, latebras; ſi freta vaſta, fretum.
Certum eſt in ſyluis, inter ſpelæa puellum
Velle meum, quoquo fugerit ille, ſequi.
Occurram quamuis irato dente Leænæ,
Tardabit matris nulla Leæa pedes.
Quid mihi, ſi lacerer rabidarum dente ferarum?
Acrius heu lacerat corda parentis Amor.
Dulce fuit præſente meo mihi viuere nato,
Dulce mihi nato nunc abeunte mori.
Et moriar, niſi, vita, redis, nec viuere matrem.

Te

Te sine fas; nec, si fas erit, illa volet.
Ne me crede, puelle, graues tot posse labores
Ferre: labat nimio victa labore parens:
Ecquis amor, fugitiue, domos spreuisse paternas?
Et procul ignoto delituisse solo?
Quid tuus ille senex in te committere tantum?
Crimine quo dicar facta nouerca parens?
Ah puer, ah nimium, nimiumq oblite tuorum,
Nullane te memorem fecerit hora mei?
Nulla tui? quo vertis iter? cui credis amores?
Matris es, alterius non potes esse puer.
Fac subeant animo paruæ cunabula Bethles;
Antraq. vagitu facta beata tuo,
Illa meum mihi te dederunt magalia natum;
Infantem matri te lapis ille dedit.
Durior es saxo, si quæ mihi saxa dederunt.
Dona rapis. celerem siste puelle fugam;
Hei mihi, quos fingit sibi mens præsaga dolores?
Ah quoties matri, nate dolendus eris!
Si tam dura puer præbes mihi vulnera, reddent
Cum te firma virum robora, quanta dabis?
Quò feror infelix? quò me fera ducit imago?
Effluat ex oculis pompa cruenta meis.
Aspicio miseranda tui spectacula lethi,
Dura lego manuum vulnera, dura pedum:
Eheu quam rapido caput horret amabile serto!
Serta meum nectant deprecor illa caput.
Quam multis tua terga labant discissa flagellis!
Maternos scindant dura flagella sinus.
Nate dolor matris ligno suffixus in alto
Decidis, & crebro vulnere corpus hiat;

Felix Phœbe, nefas qui ne tam flebile cernas;
Occumbes solitam funeris ante diem.
Heu pietas mihi fixus eris tunc, nate, dolori:
Et vagus es; matri nunc quoq. nate, dolor.
Aut fixos minus esse tuos tunc vulnere vellem,
Aut minus errantes nunc, puer, esse pedes.
Dura nimis quæ te matri gens auferet olim,
Et quæ nunc aufert gens quoq. dura nimis;
Talibus exagitat genitrix sua damna querelis.
Cum videt heu Solymæ surgere tecta procul.

IDEM ARGVMENTVM.

ELEGIA XXIV.

C Olle sedet Solyme, præcinctaq. collibus altis,
Assurgit medijs imperiosa iugis.
Heu Solyme, sceptriq. potens, & viribus olim;
Nunc lapis, & toruis triste cubile feris.
Qualis Idumæas inter formosa cupressus
Erigit annosas palma superba comas.
Talis finitimas inter caput erigit vrbes
Æthereas Solyme visa subire plagas;
Huc coëunt densæ, vulgus gentile, cohortes,
Crebraq. finitimis excita turba locis.
Et tunc forte chori iuuenumq.senumq. frequẽtes
Ibant sollemnem concelebrare diem.
Hi subeunt, illi Solymëia mœnia linquunt,

Vndiq.

Vndiq. concursu plurima turba fremit.
Alma parens immixta viris, immixta puellis,
Nunc hac, nunc illac agmina densa subit.
Cætibus in medijs tenerum vestigat Amorem;
Nec tamen in medijs cætibus errat Amor.
Dius Amor cætusq. fugit, vilesq. cateruas,
Nec passim lata dicitur ire via.
Mille parens spectat formosos ore puellos:
Forma tamen dias non habet vlla notas.
Scilicet est aliquid mortalibus addere membris,
Æternum patria nobilitate decus.
Omnia vestigat genitix, notat omnia circum,
Nec notat in turba rusticiore Deum,
Ergo quem nequeunt oculi spectare, requirunt
Mæsta rogaturis ora soluta modis.
O quicumq. teris peregrino tramite callem,
Vidistine meus quo latet orbe puer?
O bona quæ linquis Solymëia mœnia pubes,
Nostin vbi impubes matris oberrat Amor?
Ille procul caræ fugiens genitricis amores,
Dicitur occultam sollicitare fugam:
Et genitrix miseranda fugæ vestigia frustrà
Non benè perspecto tramite mæsta legit.
O si quis mihi qua lateat meus ignis in ora
Nunciet, aut quo nam calle capessat iter.
Dicite vos profugum numquid vidistis Amorem
Agmina longinquas visere docta plagas?
Nec dubijs puerum potuistis noscere signis.
Ah nimium certi signa decoris habet.
Candidus, & roseus puer est meus, ore ligustris
Concolor est niueis, concolor ore rosis.

Solis

Solis habet vultus, solis decus, & tamen idem
Luna tuas gaudet posse referre niues.
Olli molle caput puro flauescit in auro,
Et coma Phœbæi sideris instar habet.
Purior argento ceruix intacta refulget,
Cætera sidereas sunt imitata faces,
Igneus est illi color, & cælestis origo;
Et nitet in tenero plurimus ore Deus.
Lene micant oculi, qualis cum lactea pennas
Surgit ab vndosis lota columba vadis.
Areolas gena picta refert, quas orbe Sabæo
Mollis odorato cespite vestit Arabs.
Labra ferunt primam stillantia lilia myrrham;
Vnde legunt superæ munera mellis apes.
At manus Eoo tornatilis emicat auro,
Tota fluens gemmis, O hyacinthe, tuis.
Pectora purpureis radiant distincta lapillis,
Quale colorato flore renidet humus.
Marmoreas simulant argentea crura columnas,
Quas decorat Phrygia nobilis arte labor.
Cælestis candore sinus candescit eburno,
Sapphirus gemma quem radiante notat.
Quanta patet species Libani surgentis ad auras!
Nempe mei pueri gratia tanta patet.
Quanta viret cedrus, cum sidera vertice tangit,
Tantus in aurato fulgurat ore nitor.
Illius ambrosio dulcescit nectare guttur,
Et desiderijs anxia corda rapit.
Delicijs meus æthereis puer vndiq. manat;
Totus & arcanas lumine spargit opes.
Talis Amor meus est, iuuenes vidistis euntem

Dicite

Dicite num Solyma ducit in vrbe moras?
Num procul errabunda refert vestigia gressu?
Iordanis liquidas num penetrauit aquas?
Erronem quicumq. meum mihi reddit Amorem,
Fax erit hic animi penè secunda mei.
Heus vbi, nate, lates? qua te regione requiram?
Fac redeas animæ blanda rapina meæ:
Nate, redi, formose redi celer abdita transi
Limina materno suscipiende sinu.
Huc ades, ò dilecte, leues imitare capellas;
Huc age veloces dirige, nate, pedes.
Hinnuleo similis ceruorum pupule gressum
Profer, & ad matrem curre, recurre celer.
Me miseram! vicina patent iam tecta Sionis,
Nec tua mi reddit lumina cara Sion,
Ah video pede tincta tuo vestigia quondam,
Nec video, cupiunt quem mea vota, pedem.
Hac puer hac olim plantis cælestibus ibas,
Nunc alio properas currere calle viam,
O puero dilecta meo Solymëia tellus,
Tellus finitimis inuidiosa locis.
Sic tua perpetuis fument altaria flammis,
Et nunquam patrius templa relinquat honor:
Redde precor matri sobolem, matremq. saluti,
Maternæ soboles iura salutis habet.
Auguror has sedes puer occupat, ille solebat
Sæpius hos saltus, hos celebrare sinus.
Si mihi reddideris Solyme, mea gaudia, natum.
Sola mei Solyme gaudia cordis eris.
His adeo miseranda parens singultibus auras
Implet, & exactæ tempora lucis eunt.

IDEM

IDEM ARGVMENTVM.

ELEGIA XXV.

ALtera nox aderat miseræ funesta parẽti:
Congeminant tenebras luctus, & vmbra suas.
Quantus inest cælo densatis nubibus horror,
Matris in arcano pectore tantus inest.
Antra minus pallent Rhodopëia, parcius horrent
Subdita Cimmerijs concaua saxa iugis.
Quàm tua corda, parens: te nubila noctis opacæ,
Te tacitum mæsti syrma doloris obit.
Nec tenebras fax vlla leuat, licet alba coruscet
Luna, nequit densum pellere Luna chaos.
Quamuis siderei radient fulgoribus ignes,
Horrescunt; veri sideris ignis abest.
Infelix tecto genitrix malè fulta palustri
Excubat; excubias semper amator agit.
Interrumperet illa quieta silentia questu,
Lingua; sed ad questus frigida penè riget.
Iungeret vsq. vices flendi, gemitusq. cieret.
Lumina sed fletu penè soluta tument.
Consumpsit lamenta dolor: fluit aridus humor,
Et stupet immensis mens hebetata malis.
Effusis abeunt labentia flumina riuis,
Et cadit in gelidos flebilis vnda sinus.
Qualis Atlantæo cautes riget aspera dorso,

Dædala

Dædala quam multa contudit arte manus;
Talis Diua parens tanto sub fasce laborum
Hæret, & Alpini marmoris instar habet.
Interdumq. gemens suspiria languida fundit,
Interdum rauco concutit ora sono.
Quē non imploraret amans,superumq.hominūq.
Ni premat indignus languida verba dolor?
Quem prece sollicita nō flecteret,imbre perenni,
Lubrica ni calidas obruat vnda preces?
Sæuus amor duro permittit fræna dolori,
Membra dolor vexat ,corda lacessit amor.
Nate ,rogo , caræ tandem miserere parentis,
Ne miseram torque, dure puelle, diù.
Ni properas properabit amor discludere vitam
Pectore, iam sæuas admouet ille manus.
Affer opem: dolor exanimem iam perdit amantē,
Iam iubet extremis succubuisse malis.
Affer opem miseræ, quæ te nisi viderit, odit
Inuisas auras, & sine Sole dies.
Audior, est tanti matris dolor; inter & vmbras,
Inter & horroris nubila natus adest.
Scilicet extremæ cum iam caliginis horror
Non dum sidereæ cederet orbe plagæ:
Sed leuiter radijs afflatos lucis eoæ,
Luna fatigatos præcipitaret equos:
Alma parens somno fessos permisit ocellos,
Et subijt miseræ languida membra quies.
Fortunata quies, placidis quæ lenis ab astris
Aduexit tacito somnia læta sinu.
Somnia materno finem factura dolori,
Somnia venturæ nuncia lætitiæ.

Quippe

Quippe videbatur natum sibi cernere mater,
  Inter longæuos accubuisse senes.
Templa nitent auro, pictisq. superba lapillis,
  Ampla coronatis ambitiosa focis.
Conuenere patres regalia tecta frequentes,
  Et sacer è patrio more senatus adest.
Consensu in medio genitricis cura puellus
  Assidet, æterno nobilis igne genas.
Qualis gemma rudes internitet aurea cautes,
  Aut rosa spinosos inter odora rubos.
Et voces sibi visa parens audire loquentis;
  Et memori blandos condere mente sonos.
Illius in vultu defigit lumina cætus,
  Omnis, ab illius pendulus ore, silet.
Multa puer senibus respondet, multa roganti
  Respondent puero, sobria turba, senes.
Et respondentem pariter, pariterq. rogantem
  Infantem veteres tunc stupuere patres.
Nil fatur puerile puer, nil reddit ineptum,
  Nil dubium, contra nil sacra scita refert.
Certa docet, potiora probat, commenta refellit,
  Arguit hæc, damnat ludicra, vera canit.
Attoniti diuina bibunt responsa magistri,
  Attoniti diæ signa decora facis,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet,
  Nec pudet in pueri sensa venire senes.
Vulgus iners stupet admirans, mussatq, iuuentus,
  Nescia quæ tantum protulit ora sophos;
Talia nocturnas genitrix dum visa per vmbras
  Ebibit, & læto gaudia corde trahit,
Exclamare libet, matri, pulcherrime, tandem
Red-

Redderis? an falsis ludor imaginibus?
Exclamaturam somnusq. sonusq. reliquit,
Fixa sed in medio gaudia corde sedent.
Aspicit aurato diffusum lumine cælum,
Et nitidam sparsa luce rubere diem.
Et voti iam compos, io, superauimus, inquit;
Aerumnas, matris pignora mater habet.
Inuentum gratare, senex fidissime, natum,
Viuit, & æternum viuere corda iubet.
Sic superi monuere; sopor nec vanus amantem;
Ficta nec ambiguis decipit vmbra dolis.
Vidi progeniem genitrix, vidi ipsa loquentem;
Poscentemq. meos ad sacra templa pedes.
Ne dubita, spectacla dabit lætissima nostris
Luminibus, patria visus in æde puer.
Hæc Virgo, sacrumq. petit cum coniuge templū;
Et probat euentu somnia vera suo.

DEIPARAE EPISTOLA

Ad filium desertis in locis agentem.

ELEGIA XXVI.

HAec genitrix mādata suo describit Amori;
Si meus est, matrem qui malè torquet, Amor.
Sylua Palæstinos inter densissima lucos

Clauditur ; hic vitæ tempora , nate , trahis :
Et modo mente Deũ, modo sidera voce vocãdo,
Discis in vmbrosa condere valle polum.
At genitrix deserta domi luctum inter,& vmbrã,
Obscuro iaceo penè sepulta situ.
Scribimus, & fletus nostris voluuntur ocellis,
Ora natant lacrymis, pectus ab igne flagrat.
Hos mihi das comites quoties me,nate,relinquis;
Obruor vndarum fluctibus, igne tremor.
Cætera discordes, in me tamen ignis, & humor
Heu male concordi fœdera pace ligant.
Nec liquor imminuit flãmam, nec flãma liquorẽ;
Alter ab alterius robore, robur habet.
Adstat Amor fletusq. ciet, ne flumina desint,
Neu desint æstus, ignibus ardet Amor.
Interea quo me, soboles, tabescere luctu?
Quamue putes nudo pectore ferre facem?
Inter aquas,flammasq. parens mæstissima versor,
Vtraq. maternis dant alimenta malis.
Quæ viduæ sit forma domus, quæ sedis imago,
Vt taceam, loquitur, matre tacente, dolor.
Omnia subsultant singultibus; omnia mærent.
Luctus habet postes, limina luctus habet.
Nec te cura tuæ tangit, fugitiue, parentis:
Immemor ah quoties, nate, parentis, abis!
Nec nidum volucres, nec nota cubilia tigres,
Nec spernit latebras torua leæna suas.
Tu tua tecta fugis, saltus habitator agrestis!
Heu dolor! à cara, nate parente fugis!
Qua merui culpa fieri tibi vilis? an vllum
Flagitium matri te peperisse fuit?

Nate

Nate, relinque feris syluas, & lustra bubulcis;
Et patriæ tandem tecta reuise domus.
Quid tibi cũ lucis, nemorumq. silentibus vmbris?
Non facit ad viles dia figura casas.
Pastor inacceßis vitam traducat in antris,
Vt timidas pingui gramine pascat oues.
Tu cole maternas præsenti Numine sedes,
Et refer ad cæli pascua molle pecus.
Hos pater omnipotens faciles te misit ad vsus;
Tu populis cæli iura daturus ades.
Desere veloci syluas pede, desere saltus,
Te vocat vrbani sedula cura gregis.
Nempe foues dum, Diue, casas & lustra ferarum,
Ille perit stygio certa rapina lupo.
Quid toties caram linquis, fugitiue, parentem?
Vt procul effugias, vsque sequatur amor.
Te cum serus abit, te cum redit Hesperus, opto,
Te veniente die, te fugiente voco.
Triceni Soles, totidemq. ex ordine Lunæ
Implerunt solitas per sua signa vices,
Ex quo dilectam liquisti, nate, parentem;
Verbaq. dixisti penè suprema: vale.
Alma, vale, genitrix. me lustra latentia poscunt;
Syluaq. frondosis officiosa comis.
Auferor extremum, vix auferor, ore locutus,
Iam procul à matris lumine raptus eras.
Obstupui, prolisq. parens vestigia seruo
Siqua manent; proles sed procul omnis abit.
Dixisti, formose vale; formose, valerem
Si soboles cara cum genitrice fores,
Nunc tecum mea, nate, salus aufugit, & ægram

Sauciat æterno vulnere tortor Amor;
Tortor Amor, mærorq. comes mea pectora vexãt,
Et spolium de me sæuus vterq. petit.
Acer amor vocat in syluas, in lustra parentem;
Si queat hic prolem mæsta videre parens.
Suadet idem dolor insanus, sed lumine cassus
Sæuus Amor nemorum nõ mihi monstrat iter.
Quamquã syluarum nõdũ penetrauimus vmbras,
Erret & in solis fæmina rara locis.
Nil moror hoc, tantũ detur mihi nosse recessus,
Quæq. tuum condunt inuida lustra decus:
Inueniet materna viam solertia, robur
Est mihi quo dumos, & caua saxa feram.
Si scierim quæ sylua meum mihi celat Amorem,
Per syluas solus non meus ibit Amor.
Valle sub vmbrosa soboles non vna recumbet,
Vmbrosæ pateat si mihi vallis iter.
Non me tardabunt multa iuga cana pruina.
Non lea, non sæua cæde cruentus aper.
Omnia perpetiar, modo te, mea vita, reuisam;
Dulce mihi tecum viuere; dulce mori.
Te sine, siue dies, seu nox tegit horrida cælum,
Ipsa mihi noctem nunciat orta dies.
Tu mea lux, tu nate, salus, tu pellere noctem,
Tu potes ereptam restituisse diem.
Aequa mihi nocti facies est visa diei,
Dum te sidereo non vehit ore dies.
Tantum redde tuæ tua lumina, nate, parenti;
Non poterit noctis damna timere parens.
Si tu luce venis, lux hæc erit vnica terris,
Aeternumq. tuo proferet ore iubar.

Seu fulua tectus caligine nocte redibis;
Sic etiam disces nocte referre diem.
Nate redi, ne corda tuæ ne fige parentis;
Penè parens nimio victa dolore perit.
Vt peream, certe tua sum, tua dicar, oportet;
Vel cum supremus soluerit ossa cinis.
Si quæris quid agam, dum me mea vita relinquis;
Id quod agit certæ victima mortis, ago.
Conficior mærore, fatiscunt lumina fletu,
Et tenebras luctu perdita sæpe peto.
Angulus est tecti penetralibus abditus imis
Luce carens, curas excipit ille meas:
Hic sedeo, vultusq. tuos mihi sedula fingo,
Quale bonus ceram fingit, & æra faber.
Mente parens simulacra tui mihi nota figuro;
Qualia maternus sæpe figurat Amor.
His animus longum tacitis obtutibus hæret,
Iam frontem, roseas iam rotat ille genas.
Alloquor absentem præsens, responsaq: vanus
Ipse sibi fingit, quæ sibi reddat Amor.
Pascor imaginibus falsis, deludor inani
Munere: mentitum lumina lumen habent.
Infelix animi requies, fomenta doloris,
Et nimium veris gaudia falsa malis.
Nam quoties quidquam firmi mens anxia quærit,
Fraudibus illusam se videt ipsa suis.
Cum memini sobolem solis errare sub vmbris;
Ilicet exangues occupat vmbra genas,
Nulla mihi pictura refert quæ fercula sumis;
An sitis, an tristis conficit ossa fames.
Nulla refert, vbi nocte iaces, qua luce vagaris;

An lapis, an durum præbeat herba torum?
Auguror & macie vultus cecidiſſe decentes,
Et nitidum frontis procubuiſſe decus.
Nec tibi pãcatas hyemes, nec ſidera credo;
Suſpicor & ſæuas poſſe nocere feras.
Ipſos quin etiam Manes, & Tartara dicunt,
Coniurata tuam triſte ſitire necem.
Ah tibi ne veniat pereundi tanta cupido;
Vt properes diras anticipare vices.
Quod patiere ſemel, ſemper paſſurus amanti
Crederis, acer Amor fanda, nefanda timet:
Hæc animo dum cura ſubit, dum triſtia voluo,
Ah quam dura meum vulnera pectus habent;
Tunc gemitus, tunc mæſta ſonant ſuſpiria furtim,
Tunc lacrymæ pleni gurgitis inſtar eunt.
Tunc oculos nox atra tegit, tum vita recedit;
Corda calor ſenſim linquit, & ora color.
Inſiſtens lapidi poſsim lapis ipſa videri,
Sed lapis vndantes reddere viſus aquas;
Nuper erã gelido iam iam condenda ſepulchro;
Mortua ni viuus corda fouere Amor.
Namq. volãs pictis ales mihi miſſus ab aſtris,
Mater, ait, natus certa pericla ſubit.
Ille domans per longa ſacrum ieiunia corpus;
Corporis ah vires & decus omne premit;
Mox etiam toto manes educet ab Orco,
Vt ſtygio palmam victor ab hoſte ferat.
Dixit, & æthereas abijt dilapſus in auras;
Et mea ſunt nimio corda ſoluta metu.
Nũc quoq. me tãtus ſtimulat metus, effuge ſyluas,
Syluarum tacitas effuge, nate, domos.

Cætera te pietas doceat : parere parenti
  Cogat Amor , clauſus pectore matris Amor ;
Eripe me ſæuis ſingultibus , eripe letho
  Nate , tuo matris pendet ob ore ſalus.
Vna ſalus miſeræ genitrici , cernere prolem ;
  Si tua mi dudum ſubtrahis ora , cadam.
Ergò ſupremis ſignetur epiſtola verbis
  Ni properas matrem perdere , vita redi.

DEIPARAE LACRYMÆ

Filio cruci ſuffixo.

ELEGIA XXVII.

MAtris Amor duro pēdet de ſtipite natus;
  Pendet & è duro ſtipite fixa parens.
Corde parens, toto dependet corpore natus.
  Hunc chalybes ; illam ſuſtinet acer Amor ;
Acer Amor matrem ligno configit eodem ,
  Et ſæuum tacita cuſpide vulnus agit .
Nocte nigra nati morientia lumina pallent,
  Nocturnus matris lumina pallor habet .
Et quæcumq. chalybs incuſsit vulnera proli ;
  Incuſsit matri prolis acerbus amor .
Seu claui fixere pedes ; præcordia ſentit
  Fixa parens , manuum vulnera pectus habet ;
Pectus habet quotquot chalybes fecere dolores ,

Et quotquot rigidis lora cruenta modis:
Spina Deũ lacerat, lacerat quoq. spina parentem,
Vulnus idem quamuis dissita corda ferunt.
Adstat amans genitrix nato pendente, doloris
Victima: non vultus, non color vnus adest.
Tota tremit, totam tacitis dolor ignibus vrit,
Iam face cor, pectus iam niue soluit Amor.
Illam dura prius necis instrumenta cruentant:
Mox eadem nati saucia membra premunt.
Malleus in sobolem non dum vibrauerat ictum:
Et genitrix miseris concidit icta modis,
Seu mouet insanus crudelia brachia lictor,
In matrem lictor brachia dura mouet.
Siue rotat chalybem crudelis dextra cruentum:
In matrem chalybem dextra cruenta rotat.
Sanguine progenies non dum perfunditur artus
Matris & in gelido pectore sanguis hebet.
Vix erat aduectus vitiati potus Iacchi,
Labraq. iam miseræ matris amaror habet:
Impia vix ferro radiauerat hasta corusco,
Et iam maternum fixerat hasta latus.
Vtcumq. armatus mouit vestigia miles,
Protinus exangui corruit ore parens,
Vtcumq. infausta nutauit in arbore proles,
Exilijt trepido pectore matris Amor.
Ora, manusq. parens lictoris seruat iniqui,
Siue mouet toruus lumina, siue manus:
Et quò vix animi rabies crudelis anhelat,
Præcurrit trepidæ matris anhelus Amor.
Seu iacit in sobolem feralia iurgia miles,
Iurgia materna cordis in aure sonant.

Quæ

Quæ potuit natum, potuit mordere parentem
Lingua venenato barbara felle minax.
Ah quoties nati pro libertate cruorem,
Effusura suum si licuisset erat!
Ah quoties dira voluit cum gente pacisci
Pro sobolis duro funere, molle caput!
Ardor erat medios immittere corpus in hostes;
Ardor in obstantes exiluisse globos.
Sæpe madens lacrymis, necis instrumẽta cruentæ
Compellat querulo murmure mæsta parens;
Sæpe satellitium dirum, turbamq. precatur,
Vt velit insanas deposuisse minas.
Nunc chalybem, nunc tela vocat crudelia mater,
Lædere tam sanctum quæ potuere caput.
Nunc superos, nunc illa homines incusat, & inter
Iactatur rerum mens agitata vices.
Ah quam triste meas matris sonus imbuit aures!
Vt querulum genitrix temperat ore melos!
Parce meæ soboli, nimium scelerate satelles,
Parce ferox cæli perdere turba decus.
Pro capite hoc, caput ipse suum, si poscitis, vltrò
Sol dabit, & secto distrahet igne comam.
Nec se Luna neget vinclis, nec sidera pœnis,
Ne cadat æternæ vena beata facis.
Omnis se natura ream cognoscit in vno
Funere, nec tantum crimen inulta feret.
Iam volet emotis euertere fundamentis
Orbis opus, priscum iam reuocare chaos;
Iam terram pelago committere, iam dare rebus
Libera fræna, vagus quò tenor omnis eat.
Ah ne sæue nocens scelus hoc permitte satelles.

Quò furis? insanas quæ regit ira manus?
Tantane te rabies tantus calor vrget, vt ipsum
Non pudeat dira perdere cæde Deum?
Et Deus est, quem cædis atrox, agnosce decoris
Signa. viden dias nuda per ora notas?
Nunc etiam duro pendet dum victima trunco,
Num patris æterni se negat esse genus?
Num gemitus ciet indignos? num triste querelis
Indulget? turpes num mouet ore sonos?
Credite, mortales mors hæc non indicat ortus.
Sola Dei tantum pectora robur habent.
Ergo parce Deo soboles male grata: parenti
Instruis infandam sæua caterua necem?
Quod si tantus amor cædis tua pectora versat;
Si mentem tantus sanguinis ardor agit:
Cæde mea vestros satis est explere furores,
Materno sospes funere natus eat.
Me me,adsum,pete nostra furor præcordia ferro,
Victima pro nato debita mater erit.
Fige meos artus, mea transfige viscera miles:
Hæc rea sunt, sobolis corpora fraude vacant;
Tantum infelicem dilexti, nate, parentem.
Hoc vno reus es: cætera labe cares.
Crudeles Mystæ,domino vos parcite vestro:
Vos decet immunes cædis habere manus.
Ah pudeat Numen violenta perdere dextra.
Ne mihi sit læua dextera læua magis.
Vos etiam chalybes dijs ignoscite palmis,
Fulmina, non chalybes palma Tonantis habet.
In reliquos cuspis sit ferrea quælibet, in te
Nate, domet rigidas quælibet hasta minas.

Quid

Quid loquor infelix? certam tibi, nate salutem
Ipse negas: vitæ tu tibi fila legis.
Tu rigidos in te clauos, tu vulnera firmas,
Tu quouis in te durior es chalybe.
Ah saltem miserere tuæ, diuine, parentis:
Tune potes viua velle parente mori?
Cui me, dulcis Amor, miseram cui linquis amātē?
Aut quas ad lacrymas te pereunte vocor?
Nate, per hos ego te fletus precor, adde parentē
Casibus his: pereat te comitata parens.
Abstrahar, & tumulo pariter condamur eodem.
Vrnaq. coniunctos contegat vna duos.
Stet sententia fixa tuæ lacrymabilis horæ.
Occide: sic soboles, sic pater ipse iubet.
Me non vlla vetant magni decreta parentis
Te comitem mortis dura per arma sequi.
Si nequeo suffixa tuo pendere tigillo,
At tumulo dicar condita, nate, tuo,
Hoc sat erit, tecum certe mihi, Diue, cadendū est;
Tu ferro, genitrix cæsa dolore cadet.
Quæ me fata manēt, nisi me tua fata reposcunt?
Quis calor hanc animet te pereunte animam?
Me miseram! quam dura mei sunt fata doloris!
Te rapto viuam mortua, viua cadam!
Ah saltem tabescentes amplecterer artus,
Libarem gelidis oscula summa genis.
O mea sors nullis æquanda doloribus olim!
Ante meos oculos, nate cruentus obis.
Et matri nec purpureum detergere rorem,
Nec datur exangues veste fouere sinus.
Nate, peris, iam nocte nigra tua lumina pallent;

Iam necis obſcurus poſſidet ora color.
Extremum, moriture, vale. circumſpice matrem;
Fac tuus in matris ſpiritus ora cadat.
Hæc ait, & cum prole parens pereunte periret,
Ni nimium viuax corda foueret amor.

DEIPARÆ

Ad extincti filij complexus lacrymæ.

ELEGIA XXVIII.

DEpoſitum trunco nati miſerabile corpus
Mæſta parẽs, inter brachia mæſta, legit.
Forſitã in medio legiſſet corde, ſed olim
Exciderat matris cor pereunte Deo.
Iam lacrymis latè per aperta cadentibus ora
Sparſa ſuperfuſo membra cruore lauat.
Vt laceris Amor in membris, vt in oſſibus hæret!
Vt ſubit effoſſum cuſpide molle latus!
Attonitæ miſeranda legunt ſpectacula luces;
Attonitus pondus flebile luſtrat Amor.
Matris Amor gelidos rimatur pignoris artus;
Et quo quæq. cadunt vulnere membra notat,
Nunc palmas, nunc ille ſinus peruadit hiantes;
Nunc foſſos tacito permeat ore pedes.
Interdumq. caput, redimitaq. tempora dumis
Spe-

Spectat, & aſperſas ſanguinis imbre genas.
Vulnificus quã dura chalybs, quam certa tulerunt
Damna rubi! quantum mouerit haſta nefas!
Cunctaq. materno deſcribit amara dolori,
Surgat vt extincto viuus ab igne dolor.
At dolor immenſum tumet, augeſcitq. tuendo,
Duraq. cum miſera bella parente gerit.
Iamq. parens crebris ſingultibus intabeſcit,
Sæua tuens manuum vulnera, ſæua pedum.
Iam niger ora color, iam pallida mortis imago
Membra tegit, gelidus iam ſubit oſſa rigor.
Exangues quicumq. genas, vultuſq. iacentes
Aſpiciat, lethi muta trophæa putet.
Et niſi maternos irroret fletus ocellos,
Abſtulerat dirum funus, vtrumq. caput.
Par nato, matriq. color, par vultus, & horror,
Par tenet amborum frigida membra rigor:
Sed tumida genitrix lacrymarum fluctuat vnda,
Hoc habuit vitæ, cætera mortis erant.
Vnde fluit ſenſim geminatis turgida riuis.
Non tamen hæc cordis temperat vnda faces.
Naufragium tumidis Amor effugit vnus in vndis.
Quò magis vnda tumet, tã magè feruet Amor.
Ergò immota diu genitrix ſpectauit Amorem
Fixa oculos, vultus humida, muta ſonos.
Tandem inter gemitus, & luctificos ſingultus
Has inhians voces frigida lingua dedit.
Hunc ego te, nate, aſpicio! tune ille parentis
Dulce decus, ſuperum gaudia, patris honor?
Hei mihi qualis ades! quam multo vulnere cæſus!
Sæua ne tot potuit cudere tela furor?

Heu crudele nefas. videt hæc ſpectacula cælum?
An ſua ferali lumina nube tegit?
Hoc erat, atratus nuper quòd palluit æther:
Noluit heu funus cernere, nate, tuum.
Hei mihi, ſola parens tam ſæua piacula cernam?
Heu fuit hæc oculis debita ſcena meis?
Ah quam triſte iaces! quantum mutatus ab illo,
Cui quondam patrius luſit in ore lepos!
Quò vultus abiere roſæ? quò purpura ceſſit
Oris, & auguſtæ nobile frontis ebur?
Quò capitis crinale aurum? quò mobile colli
Argentum? geminæ quò cecidere faces?
Cui tantum de te licuit? potuere feroces
Tam cæleſte manus diripuiſſe decus?
Huccine felices diuinæ lucis amores!
Pectoris albentes huc abiere niues!
Hoc illud quondam genitricis amabile pondus,
Sarcina cum matri pendula natus erat?
Quam leuis illa mihi, quã dulcis ſarcina quondã,
Quæ nunc heu quanta brachia mole grauat?
Heu ferro infando cadis, heu transfixe minaci
Cuſpide, quis mouit, nate, tot arma furor?
Anne malis pars vlla vacat? vacat vlla cruentis
Supplicijs? liuent corpora, corda patent.
Tempora dumoſa pallent laniata corona.
Lingua venenato fellea rore tumet.
Terga ſedent, miſerum, rigidis diſcerpta flagellis.
Non oculis requies, non datur vlla genis.
Sanguinea ſub nube latet decus omne capillorũ,
Et coma tranſuerſis horret acuta rubis.
Hei mihi traductis languent veſtigia clauis.

Et.

Et sua pæna manus, & sua pectus habet.
Heu scelus horrendũ! tantus furor in tua, proles,
Membra? per hanc cecidit mortua vita necẽ?
Scilicet vt letho vitæ succumberet auctor,
Mors, reor, ad pænas non erat vna satis.
O vtinam mors atra meos vrgeret ocellos,
Ne tam dura meus funera cernat Amor.
Nunc Amor optarem meus esset lumine cassus;
Lumina cum centum peruigil Argus habet.
Quæ fera, quæ, te, nate, tigris terebrauit inermem?
Quæ rupit teneros torua Leæna sinus?
Nam neq. te lictor ferro transfixit acuto;
Nec strinxere tuas ferrea vincla manus.
Agnosco, te fixit Amor diuinus amantem;
Ille tibi funus construit; ille necem.
Vulnus Amoris erat, quo saucia vita recessit;
Quoq. latus patuit vulnus Amoris erat.
In chalybes diuinus Amor sua spicula vertit;
In laqueos arcus vincula vertit Amor.
Ille tigris fuit, ille leo, succumbis Amoris
Victima, te primus nate peremit Amor.
Sæuus Amor matrem soboli quin addere cessas?
Debetur titulis hæc quoq. palma tuis.
Quid viuam sine prole parens? si vita parentis
Natus erat, nati post fera fata necor.
Et necor, & viuo: sunt hæc miracula nostri
Pectoris, extinctam non potuisse mori.
Obstat Amor, iubet acer Amor decedere natum;
Scilicet & nato me superesse iubet.
Fas, & iura nocent etiam mihi, rumpere vitam
Si liceat, sequerer te, mea vita, comes.

Nunc

Nunc quid agam formose tuæ dic, nate, parenti,
Pignore sublato quid tua mater agat ?
Anne domos vacuas, & mæsta cubilia seruem?
An iaceam sacri liminis ante fores ?
An nemorum deserta petam ? lucosq. per altos
Assuescam timidæ viuere more feræ ?
Assideamne tibi longum, mea vita, sepulto,
Visa super silicem muta sedere silex ?
Ah ne me sæuus iubeat discedere miles,
Depositi custos sedula mater ero.
Miles abi ; decet ista piam custodia matrem.
Quæ matri sobolem vis rapuisse queat ?
Mille parens oculos, & lumina mille recludam:
Mille mihi cæcus lumina præbet Amor.
Si fallo : quæ pœna decet ? quo vita latebat
In tumulo, genitrix hoc tumulata cadat.
Talia virgineum cumulat suspiria pectus
Murmure quo valles, & caua saxa gemunt.

AD DEIPARAM

Cælo illatam.

ELEGIA XXIX.

VNge nouas ad fræna faces: age Lucifer ortum
Profer, & auratos pecte decenter equos.
Sparge rosas per inane, sacris occurre triumphis.

Diua

Diua triumphales vrget ad astra rotas.
Terrarum mea Diua decus, tellure relicta
Scandit sidereas imperiosa plagas.
Quantus, io, superi, vestris decor additur oris!
Quantus mortali cedit ab orbe nitor!
Terra vale, iuuat æthereas transcendere sedes,
Et cæli liquidos transilijsse sinus,
Audet Amor cælum penetrare: quis ausit Amorẽ
Dicere cælestes non bene nosse vias?
Ille sequi dominam facili per inania gressu
Gaudet, & alatos præterijsse Notos:
Ergò alacres comitemur, amat Regina videri
Dum subit, & medio calle capessit iter.
Nam neq. tabescens macie, neq. pallida vultum,
Nec roseas turpi labe notata genas,
Sed rutilas imitata faces, Solisq. nitores,
Et Lunæ nitidum nocte micantis ebur;
Surgit ad æthereum curru stellante lacunar,
Picta sinus puro lumine, picta genas.
Nixa suo nubes & sidera calcat Amori,
Tranat Amor liquidos axe rubente sinus.
Ipse regit currus, & fræna micantia flammis:
Ipse coruscantes ad iuga iungit equos.
At chorus Aligerum dominæ famulatur eunti,
Nobilis ornatu versicolore chorus.
Sunt quibus Assyrio fucatur lana veneno,
Et quibus argento candida læna fluit.
Olli cæruleus gemma nodatur amictus,
Olli sidereo fulgurat igne chlamys.
Hi facili molles modulantur gutture voces:
Hi subigunt blandæ, fila canora lyræ.

Astra sonant clamore, repercussumq. resultat
Murmur, & attonitis Cynthius hæret equis;
Surgit, io, superas vox alternata per auras
Auditur placido carmine, surgit, io.
Astra subit Regina, subit cælestis Amazon
Aetheris auratas conspicienda fores.
Qualis adest formosa, poli decus, Heroina
Mollis odoratas rore fluente comas!
Astra nitent spectãda minus: minus ignea fulget
Aurea Phœbææ filia lucis Eos.
Diua veni: patet aula tibi pulsata choreis
Aligerum: cæli lucida regna patent.
Cede solo formosa, satis tibi rustica tellus
Culta, sat Isaciæ te tenuere domus.
E Libano formosa veni: iuga linque Saniros;
Linque Palæstinis cognita lustra feris.
Effuge montanis habitata cubilia pardis;
Antraq. terrificis non inimica lupis.
Ah ne te teneant Amani deserta niuosi;
Alta nec Hermonijs subdita sylua iugis.
Inuenies meliora: vocabere tu quoq. votis,
Surge leuis, transi nubila, finde Notos. (mel.
Quid cessas? propera, mea lux, mea flãma, meum
Huc ades ad patrios blanda columba sinus.
Cessit hyems, cessere niues, tristesq. procellæ.
Cessit Hyperboreis humidus imber aquis.
Florida sidereo tellus vestitur amictu,
Et pictæ circum prosiliere rosæ.
Accelera dilecta Deo. tibi panditur vni
Dia cauernosis petra foraminibus.
Blanda veni, natoq. tuos ostende decores,

Et tuus illius cantus in aure sonet.
Dulcis enim tua vox, dulcem sapit illa canorem,
Et facies pulchri sideris instar habet.
Te nitor immortalis, habet te dia venustas,
Vna potes superas alma beare plagas.
Sol tibi distinctum radijs inducit amictum,
Lambit adoratos subdita Luna pedes,
Astra caput gyro texunt bissena corusco.
Cætera stant iussis officiosa tuis,
Lumen vt astrorum decus est, vt luminis ardor;
Vt radius Phœbi, Phœbus vt ipse die.
Sic superum tu, Diua, decus: te præside cælum
Fundet inextincto clarius igne iubar.
Tu stygium Phlegethōta premis, Manesq. silentes
Bellatrix, Erebi tu fera monstra domas.
Eumenidasq. truces, Serpentigenasq. Megæras,
Ferre catenarum lurida vincla iubes.
Te stygij tremuere duces, te pallida Ditis
Agmina, te nigri bellua torua lacus.
Nec te vllæ sordes, nec sæua momordit Erinnys,
Fæda nec à primo ducta parente lues.
Non te sirenes numeris cepere canoris,
Non tenuit blanda Cyprius arte puer.
Temnis Acidalios arcus, & spicula temnis
Cypria, fumantes fert Cytheræa faces.
Erigis asserti victrix vexilla pudoris,
Et trahis intactos ad tua signa choros.
Salue digna Deo genitrix, dignissima cælo,
Terrigenis maius, cælicolisq. caput.
Talia per sudum dant mollia nabila passim
Carmina, Sic matri plaudit amator Amor.

AD B. VIRGINEM

Quam à niuibus appellant.

ELEGIA XXX.

A niuibus quoq. nomen habes Regina ;
niualis
Cui pudor, & morum candida forma placet.
O bona nix signata meæ de nomine Diuæ ;
Auguror æternus iam tibi candor erit.
Iam tibi Luna tuos volet inuidisse nitores :
Candorem stellæ iam rapuisse volent.
Præ niue sordescit iam lacteus humor, & inter
Pennatas volucres non bene candet olor.
Lilia quò placeant, quò cana ligustra nitescant
Intactas gaudent reddere fronde niues.
Iam non Exquiliæ tantum, non Roma superbit
Intempestiuo culmina tecta gelu :
Omnis ab intacta fulget niue candida tellus,
Nec nitet in toto pulchrior orbe color.
Ipse niues æther pro pictis explicat astris,
Et nitido fultus tegmine lætus ouat.
Æterno placuisse cupit quicumq. Tonanti
Virgineas gestit corde referre niues.
Quisquis Auernali molitur bella Tyranno
Cyclade sub niuea martia bella mouet.

Iam nec prata rosas inter sua germina censent;
Ni rosa mutata candida veste micet.
Omnis amat niueum rerum natura colorem:
Hic tantum fucum nescit habere color.
Fucantur lanæ, fucantur murice lænæ,
Imbuit obscurus syrmata pulla nigror.
Vnus habet niueus naturæ munera candor,
Nec finit artifices se violare manus.
Ne posthac niuium metuant incommoda terræ;
A niuibus nomen dum mea Diua refert,
Scit flammis seruare fidem nix frigida; feruet
Qui niue virginea candida corda gerit.
Diuini flammas non ignorabit amoris,
Cui parit æternas flamma pudica niues.
Cernis vt in medio nix horrida decidit æstu;
Scilicet ardentes non timet illa faces.
Filia diuini nix est intacta caloris:
Qui calet æterni Numinis igne, nitet.
Hic ignis potis est scelerum detergere sordes,
Et niueum cordi restituisse decus.
Hic potis impuras Paphiæ restinguere flammas,
Et puras animis ingenerare faces.
O pulchræ saluete niues; salue, bona Virgo,
Quæ decus hoc niuibus conciliare potes;
Et vos Exquiliæ longum saluete niuosæ
Romulei quondam gloria rara iugi.
Imperium donec rerum mea Diua tenebit,
Romanusq. dabit publica iura Pater,
Carminibus vestri semper dicentur honores;
Et soluent faciles sæcula nulla niues.

ELEGIARVM
LIBER II.
AD PVERVM IESVM
Iacentem in stabulo.
ELEGIA I.

Vstra puer diuinus habet: properemus amantes,
Rusticus est patria quisquis in vrbe sedet.
Ipse Deus gelidum iam nunc cōcessit in antrum,
Tectaq. vagitu vilia pulsat Amor.
O ego cum puerū aspicerē, quam dulciter illic,
Vrgerem teneras sæpe labore manus.
Pastorumq. modo sectarer ouilia custos,
Dum tondet steriles sima capella rubos. (tus,
Nec quererer quod bruma gelu perstringeret ar-
Aut grauior Boreæ tunderet ira latus.
Sustinet & glacies, & aquas regnator amantum;
Nec iuuat æterni Numinis esse genus.
Nec potis est caula Zephyros arcere furentes;
Quidquid erat patrij roboris, hausit Amor.

Sæuus

Sæuus Amor puero leges indixit iniquas,
Vnus vt heu subeat mille pericla puer.
Et nunc ille vices hyemis patienter, & Euros
Sustinet, & quidquid dira procella mouet;
Mox etiam tenerum discet versare cruorem,
Ah miser, & nondum vulnera ferre bonus.
Maternas nunc ore premit lactente papillas,
Mox Amor in fusas sanguinis ibit opes.
Nunc stimulos fert ingratos pungentis aristæ;
Mox & dumorum spinea serta feret.
Nunc tegitur niueum lacero velamine corpus;
Purpura mox artus sanguinolenta teget.
Hæc Amor, & maiora volet: subduxit ab astris
Acrius vt possit perdere Numen, Amor.
Ille ciet ventos tempestatesq. sonantes,
Ille procelloso ducit ab orbe niues.
Ille Deum rigidæ lactentem strauit aristæ;
Vilis vt æternum pungat arista Deum.
Ah quoties infans gelido dum vagit in antro,
Vagitus rapidi diripuere Noti!
Ah quoties Borea noctis bacchante per vmbras;
Vix potuit nato consuluisse parens!
Illa quidem, pluuius cælo dum labitur imber,
Opposuit lentos officiosa sinus;
Sæpe dedit genitrix obnoxia membra pruinæ,
Ne teneram sobolem dura pruina terat.
Dumq. cacuminibus nix alta rigescit acutis,
A niue tutus Amor, matre fouente, fuit.
Sæpe parens doluit rutilos horrere capillos,
Vnde suam Titan legerat ante comam.
Quisquis inhorrentem caulam, puerumq. rigentē

Aspi-

Aspiciat, superas quæreret ille domos.
Numen vbi nunc, Diue, tuum est? vbi regia Diuûm?
Te ne sub angusta rupe coëgit Amor!
Felices olim patria cum sede relicta
Non puduit syluas incoluisse Deum.
Tunc ouium custos Corydon, & pulcher Alexis,
Ad domini celeres antra tulere pedes.
Et comes armenti Thyrsis modulatus auenam,
Argutum querulo fudit ab ore melos.
Nunc superas tenet ille domos, & sidera victor,
Scilicet & nostro regnat ab orbe procul.
Regnet, & æternum rerum moderetur habenas,
Arduus, & dextra tela trisulca rotet.
At nos solemnes tuguri referemus honores:
Hæc etiam tuguri fama perennis erit.

AD INFANTEM DEVM.

ELEGIA II.

Visquis amat, properet: stipulas lustramus, & antrum,
Dius vbi posito fulmine vagit Amor.
Vera cano, non me vatum fallacia ludunt
Somnia: nec Graijs ficta Thalia dolis.
Lætior annus eat; decedant pectore curæ,
Et metus, & mæstis humida gutta genis.
Scilicet agrestes inter proiectus aristas,
Mollia diuinus gaudia versat Amor.

Solue

Solue boues pastor nunc ad præsepia debent
Dia, coronato vertice stare boues.
Numen pacis adest, non horrida bella, nec enses
Horrescant: profugo prælia Marte cadant.
Tellurem pax alma regat, pax omnia nutu
Temperet, & mollis fædera nectat Amor.
Pace vigent vrbes, pinguescunt pace iuuenci:
Pace nitent campi, iugera pace nitent.
Ite procul cædes; ferrum non ausit ad ictus
Rupe sub Aetnæa sollicitare faber.
Paciferæ tantum nectantur serta coronæ,
Et circum placidas iudat oliua comas.
Maturate viam celeres, quos cura puelli,
Quos vocat Aligeris hospita caula choris.
Maturate viam properè. Deus odit inertes:
Nec segnes vero sunt in amore moræ.
Solus amans properet solos Amor optat amātes,
Qui tepet, hinc alio tramite carpat iter.
Vos etiā procul este; faces quibus igne proteruo
Vrget Acidalius sæuus in ossa puer.
Impolluta placent cælestibus: ite frequentes,
Vos quibus ingenuus regnat in ore pudor.
Ferre rosas, ferrugineos afferte hyacinthos,
Candida virginea lilia ferte manu;
Muneribus gaudet puris castissimus infans,
Nempe pudicitiæ femina prima ferit.
Ille regit castos animos Deus, ille pudoris
Sponte bonus custos, sponte magister adest.
Ipse inter flores, & lilia pascitur inter,
Lilia Pæstanis nobiliora rosis.
Olli cælestes vltrò narrabit amores,

Quisquis ab æthereo pectus amore calet;
At tu cui turpes Cypris ingerit improba flāmas,
Effice ne tentet tam mala flamma latus.
Neu sopor illudat vana sub imagine sensus,
Posce tuos sensus purior vrat Amor.
Neue Cupidinea capiat te fraude Dione,
Posce, Dionæas obruat vnda faces.
Vnda Cytheriacis semper contraria flammis,
Labilis è superis vnda beata plagis.
Tunc alacer, tunc lætus eris, tunc Cyprius ignis
Fumabit stygias naufragus inter aquas.
Euentura precor: læto puer ore renidet,
Et iubet ardentes pondus habere preces.
Nunc mihi Panchææ cumulent altaria fruges;
Terq, peregrinus templa vaporet odor.
Thura diem celebrent: non hac dare luce fauillis
Thura, nefas: sacris addite thura focis.
Quisq, sed infantem vocet ad sua thura tenellum;
Illius est nobis sidere festa dies.
Sanguis Olympiaci puer ò diuine parentis,
Aequa patris soboles, æquus Amoris Amor;
Adsis ò bonus, & nostris adlabere votis,
Gloria dum caulæ redditur ampla tuæ.
Antra cano, tuguriq. Deum, quo secla magistro
Currere sidereas edidicere vias.
Hic dedit agrestes hominum mitescere cultus,
Et diam nemorum lustra subire fidem.
Ille prius docuit latebras habitare repostas
Mortales, gelidas nec timuisse niues.
Ille truces agitauit in hospita Tartara manes;
Et clausit stygio pallida monstra lacu.

Tu ne

Tunc mores venere pij, tunc omnis Amorum
  Casta cohors nostris otia duxit agris.
Antra Deum terris gelida sub nocte dederunt
  Cum media risit candida nocte dies.
Antro vitales vltrò prodiuit in auras
  Aeterni castus fæderis auctor Amor,
Antro pastorum pubes videre iacentem,
  Cum tener humano luderet ore Deus.
Tunc vigil insuetæ stupuit miracula noctis
  Pastor, & æthereos ebibit aure sonos.
Pastor & è pleno consuetum munus ouili,
  Ad dominum niueo vellere duxit ouem.
Ille Deo viridem puro de flore coronam
  Texuit, & circum tempora nuda dedit.
Ille cauas nemorum docuit resonare latebras
  Virgineos partus, virgineumq. decus.
Felicem, cui prima dedit tunc gaudia cælum,
  Cui rutilas ardens stella reclusit opes.
At mihi contingat venturos rite per annos
  Sancte puer cunas concelebrare tuas.

AD PVERVM IESVM.

ELEGIA III.

DIcebam fuge, blande puer, fuge fædus Amoris,
  Ah caue nascentem te comitetur Amor.
Quos Amor infantes primo respexit Eoó,

Non expectato vespere durus agit,
Durus Amor, duras extundit amantibus artes;
Et domat imposito subdita colla iugo.
Num mea me fallit sententia? num feror amens
Vates, ridiculos præcinuisse metus?
Nũquam sæuus Amor lacrymis saturatur amaris,
Pura liquat nunquam gaudia sæuus Amor.
Assiduos inter fletus adolescit, & inter
Aerumnas vitæ tempora longa trahit.
Gaudet inexpletos vltrò perferre labores,
Et nunquam rigidis succubuisse malis.
Nullus in insomnes somnus descendit ocellos,
Luce vigil pandit lumina, nocte vigil.
Semper Amor venis, semper dolor ossibus hæret,
Carpit Amor venas, deuorat ossa dolor.
Pascitur arcanas cælestis flamma medullas,
Et tacito lentos conficit igne sinus.
Numen pacis Amor licet audiat; otia nescit:
Vulneribus subigit corda, labore manus.
Præsentem non ille necem, non vulnera sentit,
Dum placeat, ferro colla secanda dabit.
Irruet armatos vltrò moriturus in hostes,
Non freta, non rupes, non timet arma puer.
Insiliet rapidos nunquam rediturus in ignes,
Iibit & tumida naufragus ibit aqua.
Ah miser, & quamuis centum recludat ocellos,
In sua caligat commoda cæcus Amor.
Indomiti quicumq. iugum non fregit Amoris,
Sentiet expertus quam sit amarus Amor.
Testis erit Samson, diuino robore Samson
Fortis, & Isacidum gloria prima ducum.

Illum

Illum sæuus Amor solito violentius vsit
Barbarus, & miseris iussit amare modis.
Viderat aurato fulgentem crine puellam,
Cui Cypris Hyblæa pinxerat ora rosa.
Vt videt, vt perit! vt mente furor abripit amens!
Vt visam cæco deperit igne miser!
Quid facis heroum fortissime? castra Diones
Effuge: Gradiui te tua castra petunt.
Te vocat ad cædes, ad atrocia prælia Mauors:
Linque Cupidineis turpia signa dolis.
Tu facilem molire manu bellante molarem;
Imbuet hostilem clade molaris humum.
Tu sæuo concurre ferox in bella leoni,
Occidet horrendus victima fusa leo.
Neu te dira fames; neu te sitis aspera vexet:
Bellua cæsa dabit mella, molaris aquam.
Quid loquor heu frustra? te nũc Amor vrget iner-
Ante puellares procubuisse pedes. (mem;
Ah quoties bellatorem prostrauit amantem,
Et cepit fictis blanda puella dolis!
Ah quoties ferrata manus in vincla petiuit,
Scilicet & collo lora retorta dedit.
Mox fuluum tondere sacro de vertice crinem
Ausa, triumphalem strauit inulta Ducem,
Vt flauæ cecidere comæ, vigor ilicet omnis
Excidit; & fracto robore sanguis hebet.
At iuuenum lasciua cohors illudere capto
Certat, & indignis polluit ora modis.
Lumina quin etiam nuda de fronte reuellit,
Lumina, nam cæcus lumine gaudet Amor.
Infelix Samson quo nunc tua viuida bello

Dextera? quo duri pectoris ardor abit?
Nēpe iaces, nec sæuus Amor comitatur amantē;
Rebus in afflictis effugit ales Amor.
At tu parue puer, quem nunc Amor impulit acer
Inter Bethlæas accubuisse casas:
Quamuis igne flagres dio, diuinus amator,
Quamuis te summus cogat amare parens;
Imperium quam triste tamen, quam dura subibis
Iussa puer! puerum durius vrget Amor.
Iam sæuas hyemes tolerare iubebit, & imbres;
Iam volet algentes sustinuisse niues.
Saxa parum, vallesq. cauæ, iam subdit aristas;
Iam pluuias densa grandine trudit aquas.
Iam ciet Æolios per inhospita lustra furores,
Iam vocat insanos ad tua tecta Notos.
Iam rigidos acuit cultros, iam vulnera figit;
Iam ferit hostili cuspide molle latus.
Exilium iam triste parat; iam littora Nilus
Protendit, profugo non aliena Deo.
Cetera ferre piget. puer es, nec ferre tenella
Aure potes, Deus hic quæ grauiora parat.
Cresce puer, crescent anni, crescetis amores;
Et mixtus rigido crescet Amore dolor.
Vaticinor, nec lora manu vibrata minaci,
Nec deerunt iunctis spinea serta rubis.
Quam me, quā miseret caræ genitricis, in omnes
Quam comitem casus ire iubebit Amor!
Illa tuos frustrà gremio complectitur artus,
Si queat edurum dissoluisse gelu.
Ad gemitus gemit illa tuos, ad frigora pallet,
Ad lacrymas, lacrymis irrigat vsq. genas.

Verſabis quemcumq. puer, prius illa cruorem
Verſabit, diſcet cum moriere, mori.
Vt video genitrix eadem te flamma perurit
Quæ ſobolem; fato conficiere pari.

AD INFANTEM IESVM:
Noctu natum.

ELEGIA IV.

Are puer, qua nocte tuos celebrauimus ortus,
Nox ipſam didicit luce præire diem;
Illa nocte tui riſerunt oris honores,
Et nouus inſuetus lumine fulgor ijt.
Ore tuo pulſæ paſsim fugere tenebræ,
Et pallor ceſsit nubilus ore tuo,
Obſtupuit natura nouos venerata nitores;
Et facibus ſubitas addidit ipſa faces.
Ergo nocturnae geminata luce tenebrae,
Ilicet in tenues diſsiliere Notos.
Et noua fax ortae reuocans compendia lucis;
Clarius aeſtiuo Sole reduxit equos.
Interea gelido ſtabat Sol dius in antro,
Et tener in nuda rupe iacebat Amor.
O quis Amor Solem gelida ſpectare ſub vmbra
Abiectum rutilas occuluiſſe faces? (vmbra
Non tamen omne tegunt latebrae decus, ardet ab
Fulgor, & obſcuro ridet in ore decus.

Quam nitidos habuit super aurea sidera crines,
Tam nitidos postquam sidera liquit habet.
Solis erant oculi, Solis coma, tempora Solis,
Et iubar; & lampas lucida Solis erat,
Nunc etiam Solis gerit omnia, lumina, frontem,
Et multo roseas lucis honore genas.
Non illum cæcæ possunt vitiare tenebrae,
Non nemus, incultis non casa culta rubis,
Sed tamen est aliquis medio sub lumine pallor:
Fallor, an arcani pallor Amoris erit?
Auguror: ardet Amore pio diuinus amator.
Pallidus est quisquis vulnus Amoris habet.
Omnis amans pallet; potis est mutare colorem
Solus Amor, niueas inficit ille genas.
Vrit Amor Solem: iam iam pallescere Solem
Iam iubet auratam deposuisse comam.
Nec satis hæc. ferrum iam iam molitur, & hastā,
Imbuat vt fuso molle cruore latus.
Tu caue. sat gelidae tibi sint incommoda rupis:
Quid properas seram sollicitare necem?
Quò tibi nunc, Sol die, tuae miracula formae?
Quo fugit æterni luminis almus honor?
Illud inaccessum lucis decus, illa perennis
Gloria, quam cælum, quā stupet orbis, vbi est?
Scilicet aeternis qui cuncta caloribus vris,
Vreris, & tacitum pectore vulnus alis.
Et quae non vnis debes incendia terris,
Vna capit, quamuis non satis ampla domus.
Huccine durus Amor Solem compellit amātem,
Vnius vt repleat vix penetrale casae?
Et nisi pastorum pubes accurrat agrestis,
Igno-

Ignotus tanti luminis auctor erat.
Sidera, vestra fides, scelus hoc auertite terris;
In tenebris Solem delituisse nefas.
Vos decet auctorem caelestis prodere flammae,
Idcircò vestras excitat ille faces.
Ite; super dei sum tuguri radiate cacumen,
Sol vbi suppresso pallidus igne iacet.
Quaq. licet radijs, & lumine dicite vestro:
Rupe sub hac dij luminis auctor adest.
O felix vna ante alias clarissima lampas,
Abiectum in stabulo prodere nata Deum.
Illa quidem radijs fines peruasit eoos,
Et subito niueam protulit ore diem;
Obstupuit Matuta sua non luce diurnas
Aduectas flammas, & sine Sole faces
At Reges, generosa cohors, data signa secuti;
Extemplo patrias deseruere domos.
Illos ducit Amor nascentem visere Solem,
Quem noua praesago lumine stella canit.
Hos Aurora comes caelo comitatur ab alto,
Et volucres flamma remige iungit equos.
Non alias rubicunda magis cubuisse putares
Quòd noua tunc Solem luce praeiret Eos;
Sed iam diuini patuerunt Solis honores
Spectarunt puerum regia turba Deum.
Vt libet, alme puer, flamma tenearis Amoris;
Non sine luce tuus corda perurit Amor.
At tu, quae Solem bona fax ostendis amantem
Affectu semper candidiore mica.
Te seruet, caeleste petit qui nauita littus;
Solaq. sidereae sis Cynosura viae.

FLOS BETHLEMIVS.

ELEGIA V.

Vâ Bethlaea ſuos attollunt iugera colles,
Et breuis anguſto ſemita calle patet ;
Hic denſos inter frutices , humileſque geniſtas ,
Et vacuas inter , ruſtica ſepta , caſas ,
Flos nouus , Iſacij noua gloria naſcitur horti.
Hei mihi quam ſterili naſcitur ille ſolo !
Hūc mihi virgineo tenerum lege pollice florem ,
Quae rutilas ornas flore , puella , comas.
Hunc lege , ne ſubito violentior auferat imber ,
Neu cadat hybernae praeda cruenta niuis.
Penè ſuo cadit , heu facinus ! ſuccisus in ortu ,
Penè neci vitae tempora iuncta trahit.
Nec tamen excuſſit penitus ferale flagellum ;
Nunc etiam brumae victima certa iacet.
Experiere graues iam iam, bone floſcule, vepres,
In te ſpina ſuas dura cruentat acus.
Nunc inter rigidos pubeſcunt lilia dumos ,
O malè coniunctæ faedus amicitiae!
Quid tibi cum ſterili, florum pulcherrime, trunco?
Non decet intactum ruſtica planta decus.
Tu patrias inter caeli pubeſce nouales ,
Quam nitidos offert illa noualis agros!
Sed age , flos ſuperi pulcherrima gloria veris.

Tan-

Tantisper tenerum frondibus abde caput,
Donec hyems abeat, donec penetrabile frigus
Cesset Hyperboreas conglaciare niues.
Ne te, ne sæuis permitte furoribus, horrent
Arua gelu, torpent flumina, squalet humus:
Quin & Threijcio Boreas insanus ab Hæmo
Turbida permixta flamina trudit aqua.
Quid tenerum duris offers Aquilonibus aurum?
Quid properas molles exeruisse comas?
Expectes vernos Zephyro redeunte tepores:
En properat florum mollior aura parens.
Tunc herbas inter virides, & florida Tempe,
Intacta poteris promere fronde niues.
Interea ne funestos accersere nimbos,
Neu propera brumæ præripuisse minas.
Quid loquor ah demens? tu nunc sub rupe niuali
Obuius heu ventis, turbinibusq. iaces.
Nec parcis tibi sæue: ruunt Euriq. Notiq.
Actaq. stridenti flabra fragore ruunt.
Me miserum, quam dira tuum latus aura flagellat!
Ah pereat quæ te tristius aura ferit,
Ludibrium ventis, & tempestatibus vltrò
Diceris exoriens opposuisse caput.
Diceris & duris insultauisse pruinis,
Nec cæli dubias pertimuisse vices.
Proh superi, flos ille suo qui murice pingit
Sidera, qui terris ver geniale parit,
Bethlæos inuisit agros, & rura Sionis;
Nec tamen hospitij iura dat æqua Sion:
Illa quidem falces iam nunc extundit acutas,
Vt cadat hostili florida turba manu.

Effuge crudeles, florum pulcherrime, campos:
Te petit infano barbarus ense furor.
Messor, inhumanus messor, temerarius hostis
Vt pereas, ferrum lata per arua rotat.
Heu crudele nefas! nec tutos flosculus agros
Nouerit, vbi tenerum tollat ad astra decus?
Nōne vides, ceu flore nouo noua germina passim
Languida decussa decubuere coma?
Ah ne te sæuus vellat de stipite turbo;
Barbara neu diro demetat vngue manus.
Linque Palæstinos campos, fuge prata Sionis:
Perfida: ni properas, ah prope funus adest.
Bethlæos populatur agros, vrbesq per omnes
Turbinis in morem sæua procella furit.
Mille cadunt tenero lactentes germine flores,
Mille cadunt pictis lilia mixta rosis
Eheu quàm latè furit inclementia brumæ
Aspera! quam tetrum fert violenta nefas!
Illa ruens camporum omnes populatur honores,
Et viridem læto germine nudat humum.
O modo vitali genitos sub lumine flores,
Quàm citò funestæ vos rapit ira necis!
Dum caditis miseri primæuæ lucis in ortu,
Hoc nasci vobis quod cecidisse fuit.
Ah quam dura necis per campos horret imago!
Vt teneræ passim procubuere rosæ!
Heu strages, eheu miseranda cadauera florum,
Naturæ miseras heu generantis opes.
Vos nemus, & valles, vos alta cacumina flerunt,
Vos flerunt rauco flumina mæsta sono.
Ah pereat grauis ille furor, quò flante per agros

Ami-

Amisere suum germina læta decus.
At tu flos cæli, quem turbine poscit iniquo
Barbara vis, alio quære sub orbe locum,
Tu pingues vbi Nilus agros fæcundat arena,
Iactat vbi patrias garrula Memphis opes,
Quære solū tibi sponte parat sua rura Canopus,
Et placido sternit gurgite Nilus aquas.
Interea Solymas clementior aura per oras
Flabit, & Arctoo ponet ab axe furor;
Tunc iterum campos, iterum tua prata reuises,
E patriam reduci vere beabis humum.

AD PVERVM IESVM

Recens ortum.

ELEGIA VI.

NAtalem quæ, Diue, tuum nox attulit orbi,
Illa inter niueas est numeranda dies.
Si quoties profugo tenebrescit lumine cælum,
Hanc noctem referant astra, valete dies.
Si iubare hoc semper radient per inania noctes,
Nulla mihi posthac fulgeat orta dies.
Te nascente, puer, cælo formosius ardent
Sidera, nec nato Cynthia Sole fugit.
Te nascente, nouos vates cecinere calores
Cordibus, & puras nostra per ossa faces.

Nec

Nec mora diuinos tellus bibit altius ignes,
Et tuus algentes imbuit æstus aquas.
Arserunt iuuenes conceptis pectore flammis,
Et flammas gelidi corripuere senes.
Igne tuo castæ succendunt viscera nuptæ,
Ignibus innuptæ concaluere tuis.
Igne tuo turpes periere Cupidinis ignes,
Et Cypris extinctam fert sine luce facem.
Mollia disiuncti norunt incendia Seres,
Ardores norunt vltima Bactra tuos.
Cuncta tuus puer vrit amor, peruadit eoos,
Nec sinit Hesperias obriguisse plagas.
Et Boream subit, & feruentem corripit Austrum;
Hic flammas, illic cogit amare niues,
Cælestes etiam cælestibus ignibus vris,
Et suus est superis te subigente calor. (vror,
Vror ego antè alios: iuuat hoc, mi pupe, quòd
Si modò te nostri mutuus ignis habet.
Vre meum, puer, vre iecur, nec parce medullis,
Perq. tuos oculos perq. labella rogo.
Care puer, cape vota libens, cape thuris acerrã,
Quam sacer accensi pectoris vrit Amor.
Si mihi deserto Bethlææ rupis in antro,
Contigerit longas ducere posse moras:
Tecta valete Carystæis innixa columnis,
Et formosa mihi Parthenophæa, vale.
Antra colam, stipulasq. leues, & lustra ferarum
Lustra, puer, cunis facta beata tuis.
Nec querar Isacios quod acuto frigore montes
Rumpat Hyperboreo frigore tristis hyems.
Aut quòd inexhaustos deuoluat Aquarius amnes,

Per-

Perpetuo canas nubilus imbre comas.
Vt lubet æternas adstringat bruma pruinas
Obstiterit flammis nulla pruina meis.
Pauit & in syluis pecudes formosus Iacob;
Nec iuga, nec saltus, nec tenuere niues.
Scilicet vt caræ vincat Rachelis amores,
Nil iuga, nil saltus, nil timet ille niues.
Ah quoties teneras gremio complectitur agnas
Ne ferat hybernas mollior agna niues!
Ah quoties multa lustrat sub nocte capellas,
Ne timeat sæuos fæta capella lupos.
Solus inacessas nemorum penetrauit in vmbras;
Nequa sub vmbrosa valle iuuenca cubet,
Solus inoffensis vallauit ouilia septis,
Mollis vt in septis tuta quiescat ouis;
Sæpe manus spinis pupugit paliurus acutis:
Offendit cautes aspera sæpe pedes.
Nec tamē ille pedum, manuū nec vulnera sentit;
Vulnere nam fixum cor grauiore dolet.
Mane vigil, primo pecudes producit eoo,
Nocte vigil, sero vespere cogit oues.
Ah quoties mæstum calamo solatur amorem
Et cogit saturas illacrymare boues!
Sæpe docet pulchram resonare Labanida syluas;
Hāc nemus, hāc fontes, hāc pecus omne vocat.
Illius annosæ signantur nomine quercus.
Et tener in duro cortice viuit Amor.
Et dum sidereas quercus consurgit ad auras,
Ad superas auras scripta Labanis abit.
Illa quidem patria felix requiescit in aula,
Infelix humilem lustrat amator haram.

Somnus

Somnus amatoris miseros ignorat ocellos,
Excubat insomni pectore cura vigil.
Pascit oues herba, miserum non pascit Amorē,
Fronde pecus, lacrymis non saturatur Amor.
Bis septem totos errauit rusticus annos,
Dum sacra coniugij tempora portat hymen.
Non me, care puer formosus vincet Iacob,
Si mihi te Numen deuia sylua dabit.
Sponte feram quæcumq. pericula bruma minatur,
Et quæcumq. feris hospita vallis habet.

AD GELIDAS AVRAS,

Vt puero recens nato parcant.

ELEGIA VII.

PARCE meo puero, seu quæ de montibus altis,
Seu quæ de gelidis vallibus aura moues.
Quid iuuat angustæ frondosa mapalia caulæ,
Et male compositam sæpe ferire casam?
Sat Libani turbare nemus, satis alta Saniros
Culmina natiuis dispoliare comis.
Parcite Bethlæam crudelè lacessere rupem:
Rupe sub hac cæli mollè quiescit Amor.
O vtinam freta vasta sonent agitata procellis,
Vt parcat puero dura procella Deo.
Vota cadunt; fert ille Notos, fert ille pruinas.

O pe-

O pereant aurae, deficiantq. niues
Ecquis Amor, diuine, cauas subijsse latebras,
Antraq. montanis vix adeunda feris?
Antra lupis, pecorisq. dedit natura magistris,
Antra colunt tigres, antra leæna fouet.
At caetus hominum ciuilia tecta frequentant,
Cælicolæ superas obtinuere domos.
At tu siue venis hominum reparator, in vrbes
Diue veni. Solymæ tecta paterna dabunt.
Seu superum regnator ades, ne desere cælum,
Regia cælestes præbeat aula domos.
Quid tantũ latebræ placuere? quid inuia rupes?
Rupibus hæu cælum posthabuisse iuuat!
An tibi stelliferæ sedes, & sidera sordent,
Sidera Luciferis ambitiosa suis?
Illic picta tuum solium complectitur Iris,
Et iacit aspectu multicolore faces.
Illic aligeros inter requiescis Amores,
Ponis & in molli tempora dia rosa.
Illic membra decor fuluo circumdat amictu,
Et pro purpureo tegmine lumen adest.
Gloria te niueis ambit circumflua pennis,
Et decus æterno pingit honore genas.
Hic paleas inter duras, & lustra ferarum,
Vix etiam vilis commoda sortis habes.
Pro molli pluma, pro sidereo puluillo
Agrestis rigidos subdit arista rubos.
Pro leni flatu placidè spirantis Amoris,
Spirat ab Arctoo plenius axe furor.
Et tamen ista probas. huc te tuus impulit æstus.
Hoc te diuinus nectare pascit Amor.

Nec

Nec grauior tibi parcit hyems, iam turbine rauco
Flant coniuratis ventus, & vnda minis.
Crudeles Boreæ, crudelia flabra Fauoni,
Tuq. procellosis imbribus Eure fremens.
Quis furor est mollem nimbis agitare puellum?
Et tenerum multa mergere Numen aqua?
Claràne magnificis captatur fama triumphis?
Fama triumphato scilicet ampla Deo?
Ah miseri quā vile decus, quā turpe trophæū est,
Aspersum niueo perdere lacte Deum!
Parcimus imbelli; veneramur numina: Numen
In puero geminum lædere crimen erit.
Tantàne vos tenuit vestræ fiducia sortis,
Vt iuuet in superum bella mouere Ducem?
At non hæc vobis audacia proderit olim
Cum deus hic tumidas puppe secabit aquas.
Tunc ratis vndoso rapietur naufraga fluctu,
Dum grauior Boreæ concitat ira salum.
Vnà Eurusq. Notusq, ruunt, & nubilus alas
Aphricus, & toto gurgite bella gerunt.
Aestuat omne salū, spumant freta versa procellis:
Quà mare, quà cælum, quà fera pugnat hyems.
Permixtum credas Neptunum, Tartara, Cælum,
Inter se rauca bella ciere tuba.
Spargitur æquoreis persusus fluctibus æther,
Nec minus æthereis spargitur æquor aquis.
Alluitur Ditis subducto regia fluctu
Expuit allisas regia Ditis aquas.
At ratis infelix alterno mobilis ictu,
Fluctuat irato ludicra præda salo.
Non ars, non remi fragilem iuuere carinam,
Labi-

Labitur incerto victa carina mari.
Numen adest, placidoq. volēs dat lumina somno,
Et patitur diros bella ciere Notos.
Accurrit pauido turbatus nauita vultu,
Scilicet in vultu iam prope funus erat:
Et lacrymans age, Diue, tuos age dixit ab Orco
Eripe, iam crebris cymba fatiscit aquis.
Dixit, & ad voces Sator ætheris excitus vltrò
Aspicit ex imis stagna refusa vadis.
Aspicit æquoreo regnantes gurgite Cauros,
Disiectamq. procul stagna per alta ratem.
Aspicit, & vultu quo nubila tetra serenat,
Et quo sidereas temperat ore plagas,
Protinus & ventis, & turbinibus præruptis
Imperat, & furijs Tethios vnda tuis.
Nec mora subsidit pelagi fragor omnis, & omnis
Impetus; audaces iam posuere Noti.
Cærula pacato rident argentea vultu,
Ponit & iratas molliter vnda minas.
Pax redit. obscuro redeunt sua lumina cælo:
Fulgurat assueto pulchrior ore dies.
Alcyones placidas passim lusere per vndas,
Et solita Delphin instruit arte choros.
Miratur remex, miratur nauita circum,
Tam subito stratos gurgitis esse sinus.
Miratur natura suos cecidisse furores.
Ventorumq; graues detonuisse minas.
Hæc fuerint olim, sed tu iam, Caure, iacentem
In stabulo puerum lædere parce Deum.

AD

AD INFANTEM DEVM.

ELEGIA VIII.

QVI primus fragili perrupit ſtrata carina
Marmora, marmorei pectoris ille fuit.
Tũc alternantes primũ ſenſere procellas,
Et coniuratos candida lina Notos.
Tunc pelagi perfecta pericula: tunc mare primũ
Obruit errantes per vada ſalſa rates.
Infidos tunc Scylla canes latrantibus vndis
Extulit, & cinctas angue nocente comas.
Tũc Siculum tenuit latus implacata Charybdis,
Virgineoq. graues expuit ore minas.
Nauita tunc ſcopulis vultus, & nomina fecit,
Et didicit cæli dinumerare vias.
Ante nec Arcturum quiſquã, neq. nouerat Arctos,
Nec dum Plëiades nobile ſidus erant.
Nec Cyprin Idalam, nec habebat Caſtora cælũ,
Nomen idem ſtellis, & nitor vnus erat.
Vix ſyrtes aliquis, vix Acroceraunia norat.
Nec timuit Maleæ naufraga ſaxa ratis.
Clauſa ſuis ſtabant infida Ceraunia ſeptis:
Nota nec in populis Aſtypalæa fuit.
Poſtquam vela tumens vidit mare; fulſit Orion
Ilicet, & medio Parrhaſis vrſa polo.
Hinc Aries, illinc meruit quoq. Scorpius aſtrum,
Stat ſua Gradiuo, ſtat ſua ſtella Ioui.

Mon-

Monstra tenent cælum, nec solis montibus errat
Anguis, & irato barbarus ore leo.
In pelago syrtes latuere, superbijt audax
Isthmos, & vndosis Cyclas iniqua vadis;
Quà mare, quà cælum, quà tempestatibus Euri
In nostram sæui ius habuere necem.
Iactamur scopulis, iactamur gurgite vasto:
In nos igne furit Iuppiter, æquor aqua.
Ah miseri quos blanda maris pellacia primum
Allicit, & portu soluere vela iubet.
Mox grauior ventis increbrescentibus horror
Ad portus iterum littora fida vocat.
Heu frustra: vetat hoc Nereus, pontũq. per omnẽ
Huc illuc medio gurgite vela rapit.
Quis furor hic mortale genus dare lintea Cauris?
Nec maris infidam pertimuisse fidem?
Vsq. adeòne piget vitalis lucis, vt inter
Stagna maris lethum quærere velle iuuet?
O nimium nimiumq. nocens mortalibus aurum!
Et nimium nostris purpura fæta malis!
Auri sacra fames, auri malesana cupido
Impulit instabilem stagna per alta ratem.
Illa salo puppes malè credidit; illa per vndas
Permisit rapido vela regenda Noto.
Argenti rabies. & amor malesanus habendi
Fecit inæquales per freta vasta vias.
O vtinam nunquam curis sordescat auaris
Mens mea, nẽc vanas perdita quærat opes.
O temnat rutilas quas euehit Indus arenas,
Quæq. colorati vellera Seres habent.
Nam mihi quid prodest flauentis vena metalli?

Quidue Paraetonijs marmora cæsa iugis ?
Cuncta dies rapit in præceps:ruit orbis,& vrbes.
Nec semper Tyrio murice lana rubet.
Care puer, tecum gelido proiectus in antro
Aurea te rerum Principe secla feram.
Assuescam tolerare famem, tolerare furores
Grandinis, & puro pellere fonte sitim.
Assuescam strepitumq. fori, vulgiq. tumultum
Spernere, nec rerum pertimuisse vices.
Si non Sidonio mea purpura fulserit ostro,
Nec dabit Assyrios culcitra picta toros.
At lentæ salices, & odoræ floribus herbæ,
Prataq. purpureis semper amæna rosis
Non deerunt, aut vena loquax reuocabilis vndæ,
Aut riuus tacitis serpere natus aquis.
Nulla meos vnquam turbabunt classica somnos,
Nec meus horrescet dira venena calix.
Arma procul, procul ensis erit, pallorq. furorq;
Et Mars indomitis sanguinolentus equis.
Ipse colam syluas & prata recentia riuis,
Et caua lactenti cognita lustra Deo.
Non mea sollicitis versabit pectora curis
Quæ beat eoos aurea concha sinus.
Hic paleas inter duras, vilesq. myricas
Venabor superas ambitiosus opes,
Aucupio, diuine, pio tua munera diues
Captabo, non me munere vincet Arabs.
Gemma tuus mihi fletus erit, quot lumina guttas
Elicient, gemmas tot geminabit Amor.
Argenti tua colla dabunt argentea venas.
Aurum sidereæ mollia fila comæ.

Labra

Labra ferent roseis animata corallia succis,
 Purpura natiuo pinget honore genas.
Fulgor ab æthereis nitidus spirabit ocellis,
 Et ceruix purum lactea reddet ebur.
Hæc me diuitiæ facient, hæc dona potentem;
 Hæc meus æternum præmia quæret Amor.
Ponite me, pigris Boreas vbi prata pruinis,
 Vrit, & algenti compede nectit aquas,
Ponite desertos vbi Syrius inficit agros,
 Aut vbi siccatis flumina sorbet aquis.
Ponite Marmaricos vbi nutrit adusta leones
 Aphrica, vel rapidas Indica terra tigres.
Diuitias, formose, tuas, tua munera quæram;
 Munera quæ numquam tollet auara dies.
Alter Erythræis baccata monilia gemmis
 Iactet; & eoi lucida dona maris.
Mi sat erit cæli sperare beatius aurum.
 Atq. tuo longum lumine, pupe, frui.

AD PVERVM IESVM

Rosa brumalis.

ELEGIA IX.

NVnc vbi sæuit hyems, gelidæ rosa filia brumæ
 Explicat æternum nocte silente decus,
Qualis vbi cælo cæcis horrente tenebris

Pro-

Protulit auratam lucida flamma comam.
Quātus honos frōdis! quæ gratia mutescit aut qui
Mollis ab aprico germine spirat odor!
Non sic Hyblæi fulget rosa gloria collis,
Non ita Pæstani gloria rara iugi.
Concolor irradiat stellis, & concolor auro;
Concolor argento, candida Luna, tuo.
Surgit Iessæo de cespite, pulchra videri,
Pulchra magis, quo se prodidit illa minus.
Quin etiam pluuijs perfunditur humida guttis,
Rore suo molli, melle beata suo.
Hinc apis æternos tibi collige dædala flores,
Hinc pete sidereis dulcia mella fauis.
Ah caue lactentes lædant tua spicula frondes:
Aeternum viridi germinet illa coma.
Coge fauos hinc turba volans, neu punge tenellā
Tela procul remouet, collige mella, licet.
Pascit apes cæli, superi rosa gloria veris:
Illius ambrosio sidera melle fluunt.
Hæc nisi cælicolas dio rosa nectare pascat,
Cælicolum pascat pectora dira fames.
Haec rosa terrigenis nisi dulcia mella propinet,
Mellea terrigenis pocula nulla fluant.
Dicite Bethlææ valles mihi, dicite colles,
An decus hoc vestros germinat inter agros?
Auguror, hic nuper foliorum protulit aurum.
Hic tenero molles extulit orbe comas,
Nullus ager potis huic similē progignere florem,
Vnica Bethlaei gratia ruris erit.
Sed tamen vnde rosae tantus nitor? vnde beatus
Spirat odor? quo se murice picta leuat?
Rusti-

Rustica non Bethle tantū decus haud potis Orbi
Edere, nec Solymes fert plaga tale iubar.
Scilicet hæc patrio quondam rosa consita cælo,
Floruit, æternas vincere nata faces.
Nec fuit æthere sis flos pulchrior alter in hortis
Nec qui tam læto tolleret ore caput.
Mox vltrò superis è collibus exul, in aruis
Bethlæis medio protulit imbre comam.
Hinc & mortali niueum decus imbuit ostro,
Et tinxit nitidæ nobile frondis ebur:
Ah crudele nefas! superæ rosa pompa noualis,
Et modò stellati pictus ocellus agri,
Sidereo deiecta solo, sola rustica Bethles
Occupat, & brumæ certa rapina iacet.
Heu pietas! quantum rigidæ feret illa pruinæ!
Insani quantum turbinis illa feret!
Spina recumbentem premit aspera, spina iacentē;
Spinæ recens ortum perdit acuta decus.
Proh superi, quisnam ferali turbine nimbus,
In caua cælestem compulit antra rosam?
Quis gelidas tolerare niues, quis frigora brumæ
Iussit & hybernas sustinuisse vices?
Fallor, an arcani turbo violentus Amoris
Linquere cælestes sponte coëgit agros?
Ah nimium dux cæcus Amor, si cogis amantem
In specus, in syluas, in caua saxa rosam!
Mirabar, quid nam stipulas pubesceret inter,
Et coleret duræ rustica culta casæ!
Scilicet est aliquid ducibus se credere cæcis,
Cæcus Amor rectum non bene nouit iter.
In latebras, in saxa vocat, non flabra, nec Euros,

Nec timet Alpinas per iuga summa niues.
Atq. vtinam niuibus tantum contentus acutis,
Et ferrum, & chalybes ferre recuset Amor.
Quam metuo ne post brumæ rosa nostra furores
Perferat æstiuas sanguine tincta faces!
Quam metuo ne dumorum lacrymabile sertum
Audeat innocuas dilacerare comas!
Quam vereor ne funesti cultoris aratrum
Euellat patria nobile germen humo!
Ah quam dura timor de te, Rosa, somnia fingit!
Ah ne vera tuus somnia reddat Amor!
Quam citò diuinus sese nitor imbuet ostro!
Languidus in folijs quam citò pallor erit!
Dura nimis molitur Amor. quis narret Amoris
Imperium? nimis est imperiosus Amor.
Agnosco, doleoq; graui sine vulnere numquam
Liquit, inextinctus quem semel vssit Amor.
Perfer, & obdura Rosa paruula. rustica Bethle[m],
Rusticus est cultor qui tua rura colit.
Tuta tibi tantum cælestia iugera credam,
Terrarum rigidos experiere sinus.
Sed tamen hìc etiam tenero dum flore virescis,
Dum noua brumalis tempora veris agis.
Sis felix, sis fausta, rigor tibi ponat acuti
Sideris, & fluxo decidat imbre gelu.
Quin & Threijciæ spirent tibi leniter auræ,
Et radient puro clarius igne faces.
Qui te cumq. Notus, qui te violentior Auster
Læserit, Aeolias sentiat ille minas.
Occlusus rigidi teneatur carceris antro,
Nec referent clausas ferrea claustra fores.

DE

DE CHRISTI NATALI DIE.

ELEGIA X.

MIrabar quid nocte vigil me Musa moneret
Visa diu somnos increpuisse meos.
Natales monuit lactentis Numinis ortus,
Et dedit arguta ter bona signa lyra.
Excutior somno, nec dum fugientibus astris,
Præproperam video subrubuisse diem.
Trãseat hæc sine nube dies, quæ nata sub vmbris,
Phœbe tuam niuea lampada luce præit.
Filia nocturni quamuis mihi sideris adsit,
Nobilis aurato fulgeat ore dies.
Aeternum micet orta dies. flent æthere nimbi,
Et cadat indomiti molliter ira salis.
Nunciet hæc festos seclis voluentibus annos,
Et fastos niueo deferat igne dies.
Hæc canat angustum nascentis Numinis antrum,
Sæpe loquax facili carmine, sæpe redux.
Hæc eadem segnes ad musica plectra Camænas
Suscitet, & blando temperet arte chelyn.
Hæc & perpetuo flammis accensa coruscis.
Rideat, & niueis gaudia portet equis.
Hæc sacro fulgore nitens, nec Apollinis aurum,
Nec bibat argentum, Cynthia læta, tuum.
Hanc olim nemo lacrymis corrumpat amaris.
Pollutam nemo sordibus esse velit.

Hanc cantus, lususq. leues, mollesq. choreæ,
Hanc decet & risus blandus, & aptus Amor.
Ista dies terris cælestia gaudia vexit,
Et superos imis miscuit ista dies.
Hæc primum lux alma bonos coniunxit amores,
Fædera cum Diuis hæc socianda dedit.
Hanc quoties lacrymis, quoties singultibus olim
Expetijt Patrum præscia turba diem!
Ah quoties castis onerauit sidera votis,
Esset vt hæc votis vltima meta suis!
Ah quoties superas vox molliter imbuit auras,
Et dedit hæc blandis dulcia verba sonis.
Labere, sancte puer, patrijs delabere regnis,
Aspiciat vultus Isacis ora tuos.
Ne segnes innecte moras, quate limina Diuum,
Et valido clausas excute poste seras.
O vtinam rutilum disrumpas victor olympum,
Vt tibi disruptus pandat olympus iter.
Ex oculis diuine, tuis ardesceret ignis,
Ignis inextinctas vrere natus aquas,
Sidera mortalem sensim rorate salutem.
Defluat immixto fusilis imbre salus.
Et vos ô niueam demittite nubila pacem:
Pacifer in vestris nubibus arcus inest,
Foeta Deo gremium tellus geniale tumescat,
Lætaq. diuinam germinet herba rosam.
Ambrosiam colles, & dulcia mella ministrent,
Et fluat irriguo lacteus amne liquor.
Nectare torrentes, & nectare flumina currant,
Garrula nectareas vena propinet aquas.
Pallida nox fuscum deponat syrma, nec vmbras
Am-

Amplius, aut tetrum præferat atra caput.
Nocte puer media terras lapsurus ad imas
Crederis, & potior nox erit illa die.
Qualе super lenæ Milesia vellera lanæ
Fusilis æstiua decidit imber aqua.
Qualis & in liquidas descendit stiria guttas,
Cum primum faciles intepuere niues;
Sic venies formose: veni. quid vota moraris?
Quid surda nostras ebibis aure preces?
O superum regnator Amor, miserere precantum.
Effice ne duro terra sit hirta gelu.
O oriens, sanctæq. facis spirabilis ardor,
Fac abeat densum te radiante chaos.
O rerum complexa omnes Sapientia fines;
Affer, io, magnum Patris ab arce sophos.
Legifer ò cæli leges quin tradis amandi?
Aequa tuus terris fœdera dictet Amor.
Nascere, quò nostris felicia gaudia seclis,
Aurea perpetua sidera luce ferant.
Tecum læta fides, tecum pulcherrima virtus
Surget, & arcano picta decore Charis.
Tu regnum dotale reges quacumq. per orbem
Pandit inaccessos ora reposta sinus.
Aethiopes tua sceptra colent, tua signa Sabæus;
Et tua longinquus signa sequetur Arabs.
Et Medi Reges, & Iaponis insula diues,
Et Tagus, & fuluis aurifer Hermus aquis;
Dona feret, feret Hesperius tibi munera supplex,
Et supplex Lybicas offeret Auster opes.
Ipsi hostes rigidis euincti colla catenis,
Ante tuos cupient procubuisse pedes.

Hæc cecinere Patres, quæ tu nunc edite terris
Aeterno sancis fœdere, bla[n]de puer.

DE CHRISTI DOMINI

Die natali.

ELEGIA XI.

HAnc cecinere diem vatũ præsaga futuri
Pectora, cum multus solueret ora Deus,
Hanc fore, quæ terras olim coniungat olympo,
Et superas fracto proruat ære fores.
Hanc fore, quæ stygijs indicat bella maniplis,
Quam tremat attonitis pallidus Orcus aquis.
Euenere: Deus patrijs delapsus ab astris
Rupe sub exesa membra tenella locat;
Ille potis rutilo terras adiungere cælo;
Et cælum terris conciliare potis.
Illius auspicijs niueis pax candida pennis,
Vrget ad infernos ferrea bella lacus.
Ille bonus vindex scelerum, bonus ille salutis
Arbiter, æterni fœderis auctor adest.
Nec sine cæde Deus mortalia fœdera sancit,
Illius est nobis parta cruore quies.
Testis oliuiferi feralis culminis hortus,
Prima laboranti scena parata Deo.
Testis acerba rigens saxo candente columna:

Mox

Mox heu purpureis tincta columna notis.
Testis inexpletum Domini testatus amorem
Fixus in infami vertice stipes atrox.
Testis & horrescens Acheron post funera cæsi
Numinis, & subito pallidus ora metu.
State duces Erebi, quæ nã fuga? quis pauor artus,
Aut quisnam tantus concutit ossa tremor?
Anne gigantæi fregere tenacia fratres
Vincula? num Tityus fulminat arma ferox?
Arma mouet rector superum: iam limina quassat
Terrea, iam solidas excutit ære feras.
Iam stygiæ ferale gemunt per opaca sorores,
Claustra, ruit fusis torua Megæra comis.
Intremuere domus Stygis, infernæq. lacunæ,
Et Phlegethontaeæ personuistis aquæ.
Centauriq. strygesq. fremunt, fremit ore cruento
Cerberus, & nigrum quassat vtroq. caput.
Eumenides diros funesti verticis angues
Ilicet in pœnas explicuere suas.
Sanguineum rubuit Cocytus, & amne refuso
Turbida Lethæos proluit vnda sinus.
Tota ruit Ditis frustrà frendente Tyranno
Regia: tota nouis motibus aula pauet.
Tu Manes in vincla petis bellator, & acri
Imperio, dura compede crura ligas.
Arbitrio, diuine, tuo subiecta premuntur
Tartara, disiecto stant adamante fores,
Panditur atra domus Ditis, panduntur opacæ
Speluncæ, nigri panditur aula Iouis.
Tartarei iam furta specus, Erebiq. rapinæ
Cælo ostenduntur, iam caua lustra patent.

Iam spolia, exuuiasq. datur Phlegethontis auari
Eripere, & stygios depopulare lacus.
Sunt tamen hæc, etiamne, tui monumenta triũphi
Prima, dabunt superæ mox potiora plagæ.
Iam te Cælicolum capitolia celsa petentem
Euehet ignitis nubilus axis equis?
Occurrent agiles cælo plaudente cohortes,
Mille pharetratis agmina iuncta choris.
Præda triumphati diues præcedet Auerni
Ditis ab obscuro carcere turba redux.
Et currus, celeresq. rotæ, faciles q. quadrigæ,
Vectaq. nubigenis plaustra sequentur equis.
Tu procul augustam redimitus sidere frontem,
Victor ages duræ clara trophæa necis.
Imperioq. nitens, medijs in millibus ibis
Insignis palla versicolore latus.
Aurea crux rutilo radiabit nobilis auro,
Et sparget tremulas luce micante faces.
Ante tuos currus rutilum Thaumantias arcum
Præferet, & magna voce triumphe canet,
Interea totum concordi murmure cælum
Alterno reddit carmine: victor, io,
Victor io, valles, pulsataq. saxa resultant,
Et festiua sonant sidera, victor io
Victor io, tu Tartareos inuicte maniplos,
Perdis, & aduersos Marte fremente duces.
Te stygij tremuere lacus, tibi ianitor orci
Pressit anhelantes ore silente canes.
Tu patrium reseras patefacto limine cælum,
Et reddis superis agmina rapta plagis
Salue vera Dei soboles, genitoris imago
Nobi-

Nobilis, aeterno nec genitore minor.
Talia carminibus pubes lectissima Diuum
Concelebrat, tales fundit ab ore sonos.
Parue puer, magnis iam nunc assuesce triumphis.
Ipsa tibi magnus causa triumphus erit.

IN EADEM DIE

Ad Pastores.

ELEGIA XII.

VOS etiam puerũ gelido vidistis in antro
Noctis ad excubias, rustica turba vigil,
Nox erat, & medio Phœbi soror ignea cælo
Lustrabat positas in statione faces.
Poscebat numerum stellarum Luna minorum,
Et Thyrsis saturas enumerabat oues,
Thyrsis oues, Corydon lustrabat forte iuuencos,
Ducebat segnes Mopsus ad antra boues.
Cum subitò festo misceri murmure cælum
Incipit, & nigra fulgere nocte dies.
Nec mora; nocturnas lux circumfusa tenebras
Dispulit, & centum promicuere faces.
Quale solet velis cum scena repente remotis
Obijciens oculis mille theatra refert.
Quin etiã qua parte magis micat ignibus æther,
Quàq; magis glomerat nox fugitiua gradum,

Improuisæ acies geminatis millibus adsunt,
Quà face, quà flammis conspicienda cohors:
Hi citharas, alij prætendunt nablia palmis,
Hos iuuat auratam sustinuisse lyram.
Sunt quibus è læua dependet tortilis arcus,
Sunt quibus è dextra plectra corusca cadunt.
Omnibus æthereà crines nectuntur oliua,
Omnibus ex humeris candida læna fluit.
Obstupuere ouium perculsa mente magistri,
Et multo taciti diriguere metu.
Quale vbi pertentant ingentia gaudia pectus,
Ipsa vehunt trepidum gaudia magna metum:
Iamq. fugam pauida meditatur fronte Menalcas,
Nec dubitat segnes linquere Mopsus oues.
Cum vox æthereas audita repente per auras
Continuit pressa territa corda fuga.
Pone metum pastor: quò te fuga proripit vltrò?
Immensas æther hic tibi pandit opes.
Non hæc ambiguos poscunt sibi visa timores,
Certa polus spondet gaudia, certa Deus.
Ille Deus, Deus ille manu qui sidera torquet,
Et iubet alternas temporis ire vices;
Ille parens rerum quo præside secula currunt
Aurea; quo tantum sospite vita viget:
Ille subest caulæ puer, agrestiq. sub antro
Humanam tenera voce lacessit opem.
Ille & virgineæ genitricis ab vbere pendet
Siderei princeps agminis, orbis Amor.
Hic vbi Bethlææ referant se saxa cauernae
Hic tenero vagit molliter ore puer.
Credite: mentiri numquam cælestia norunt

Pectora: lætitiæ iam noua vena salit:
Hinc haurire licet latices è fonte perennes,
Laetaq. quae nusquam pocula terra bibit.
Imò agite, & penitis tuguri succedite tectis,
Nudus, vbi fletu lumina spargit Amor.
Nec dubijs Numen fas est agnoscere signis:
Signa Deus patrij certa nitoris habet.
Ite: caput genitoris habet, genitricis ocellos;
Hinc hominem vultu nunciat, inde Deum.
Pergite, primitias dij libate decoris,
Hic decor æternae semina lucis habet.
Vix ea Caelicolum multis è millibus vnus
Dixerat; & presso clauserat ora sono:
Cum subitò glomerata cohors cōcentibus auras
Temperat, & tacitas suscitat arte lyras:
Mille leues sonuere lyrae, cita nablia mille,
Mille repercussos plectra dedere sonos.
Quin etiam numeros inter, sonitumq. tubarum
Vox audita nouum reddidit vna melos.
Gloria magnanimo super astra corusca Tonanti
Militet aeternis obsequiosa choris. (renner,
Huic honor, huic decus omne fluat, longūq. pe-
Huic solium circum discolor Iris eat.
Mortales hilari pax ambiat aurea vultu,
Pax volet, & terris mollia secla ferat.
Pax animos, pax corda regat, pax lapsa medullis,
Bella sub infernos exigat alma lacus.
Pax genus humanum patrio submittat olympo:
Pace viget tellus, sidera pace vigent.
Talibus aethereae resonant concentibus aurae,
Et placido circum murmure saxa fremunt.

AD PVERVM IESVM

A pastoribus adoratum.

ELEGIA XIII.

AVdierat superum cæli per inania cantus
Tityrus, & dulces hauserat aure sonos.
Continuòq. fremens, quæ nos mora segnis, amici,
Corripit? aut gressus quis stupor, inquit, habet?
Ire iuuat quò fata vocant, quò sidera ducunt,
Quò monet Aligerum lapsa per astra cohors.
Hàc iter est Bethlen, Bethlen pennata iuuentus,
Et veteres Bethlen praecinuere Patres.
Ergò alacres properemus: Amor comitatur euntes,
Nobilis accensi pectoris hospes Amor.
Nec via longa: iugum iam iam, collesq. resident,
Et propè Bethlaeos aspiciemus agros.
Me duce deuexum montis superate cacumen:
Me duce, decurso monte, subite nemus.
Ipse ego vos facili traducam calle volentes,
Quà breuior certo semita calle patet.
O sortem! datur in lustris reperire Tonantem;
Et potis est frondens reddere sylua polum.
Hanc mihi forunam vates Iessæus olim
Hic inter niueas saepe canebat oues.
Ille sacro quondam correptus Numine pectus,

Fati-

Fatidico tales edidit ore sonos.
Pastores saluete, meum genus, & mea pubes;
Pubes Bethlæum nata fouere nemus.
Scilicet & tempus veniet cum rustica Bethle
Hospitium puerò præbeat vna Deo.
Tunc pastor, mea progenies, sub rupe niuali
Inueniet dias nocte silente faces.
O mihi venturos cælum si proroget annos;
Cum meus in gelida caute recumbet Amor.
Hæc cecinit vates: respondent omnia vati.
Pergimus, certum dum via monstrat iter.
Finierat pastor, dictis mora nulla; resultant
Lætitia colles, & caua lustra fremunt.
Idem omnes simul ardor habet, fastigia montis
Edita deserto transiliisse iugo.
Ergò alacres subeunt, ò quæ mens præcipit vltrò
Gaudia! quæ tacito pectore flamma furit!
Ad Bethlen fremit, ad Bethlem montana iuuentus,
Bethlæas properat rustica turba casas.
Aequatur summo rupes Bethlemia cælo,
Angulus hic toto latius orbe patet.
Ah quoties te voce, Puer diuine, salutant,
Absentem! quoties molliter ore vocant?
Stat fortunatam genibus perrepere terram,
Scilicet, & duris oscula ferre rubis.
Stat diuina pijs fouisse mapalia votis,
Et longum viles incoluisse casas.
Iamq; tenent sacri penetralia scrupea tecti:
Iam patet vmbrosa deuia valle domus.
Dicite Cælicolæ blandæ dulcedinis haustus;
Dicite, quam puro gaudia fonte trahunt.

Non

Nō decet hæc vates numeris celebrare profanis,
Apta nec est Graijs ista Thalia iocis.
Vallis erat montis dorso subiecta recuruo,
Et circum viridi frondea sylua coma.
In medio tectum ramis agrestibus antrum;
Et specus obiecta scrupea rupe iacet.
Succedunt: iam mille faces, iam mille videres
Spicula luciferis irradiare suis;
Aurea fax nitidis micat intermixta fauillis,
Et beat arcanis auia tecta modis;
Illis corda pauor, furtiuaq; gaudia pulsant;
Et sensim dius pectora carpit Amor.
O quis Amor! spectant puerū materna prementē
Vbera, cui niueo risus in ore sedet,
Cui pulcherrima fax radiantibus indit ocellis
Lumina mille, genis sidera mille ferit.
Quanta supercilio Charis insidet! vt coma fulget!
Vt referunt pictas æmula labra rosas!
Vt cara cum matre putes certare puellum!
Vt geminum formæ pingit vtrumq; decus!
Est puero cæleste iubar, cæleste parenti;
Alba parens, albo candicat ore puer.
Crine parens rutilat, rutilat quoq; crine puellus,
Nigricat hic oculos, nigricat illa suos.
Lactescit ceruice parens; lactescit alumnus,
Et pariles ostro ducit vterq; notas.
Frons eadem matriq; simul, pueroq; nitescit,
Vnus in ambobus luminis ardet honor.
Vnus Amor pinxisse duos, ornasse videtur
Vna manus, par est gratia, lumen idem;
Tota parens niuei spectatur in ore puelli;

Spe-

Spectatur matris totus in ore puer.
Respondet gena læta genis, & labra labellis,
Vna Charis palmas condidit, vna pedes.
Et si corda velis latebris lustrare remotis,
Idem sub duplici pectore spirat Amor.
Arridet genitrix proles vbi risit, obortis
Flet lacrymis, fletu cum rigat ille sinus.
Siue riget pignus, riguit cum pignore mater,
Siue gelu torpet, torpet & illa gelu.
O quibus hæc oculis haurit spectacula pastor!
O quæ sollicito pectore vota facit!
Mens fugit, incertoq. labant vestigia gressu;
Et cadit oblita prona cicuta manu.
Miratur radios, oris miratur honores;
Signaq. cælestis non dubitanda facis.
Mox vbi torpenti fandi data copia linguæ,
Nec tenuit segnis libera verba metus.
Strata super duros deponunt corpora vepres,
Aeternum pubes deuenerata Deum.
Interea lacrymis oculi rorantur obortis.
Totus & in fletus pectoris vndat Amor.
Quin etiam tacitis suspendunt verba labellis,
Et castas geminant molliter ore preces.
At precibus mollis puer annuit, ille beatis
Delicijs sensim feruida corda replet.
Ille bonus sanctos auget sub cordibus ignes,
Et iubet humanas intepuisse faces.
Felices nimium quibus aurea gaudia primum
Præbuit è patrio sidere lapsus Amor.
At mihi dum reuehit solemnia festa December
Pierio cultus more December erit.

Ne meus ex illo vulnere sanguis eat.
Tene ego perfossum crudeli cuspide cernam?
Tene tuo sparsum sanguine molle latus?
Et patiar? ne mi, tam sæuum ferre dolorem
Pupe velis; saxo non mea corda rigent.
Tu ferire artus; ego cor: tu victima ferri;
Ipse ego solliciti victima amoris ero.
Triste mihi puerum guttis spectare cruentam
Purpureis; cæsum triste videre Deum.
Expectare vacat paulum tibi, dum vigor artus
Imbuat, & tenerum firma iuuenta latus.
Quid loquor heu? rubuit suffuso sanguine corpus
Ilicet, & sæuus permeat ossa dolor.
Ah pereat quisquis chalybem conflauit in ensem
Ferreus, & ferrum posse ferire dedit.
Tunc cruor effuso madefecit flumine terram,
Et dedit ingratæ pabula prima neci.
Vulneribus letho patuit via; vulnera primum
Funeris ignotas edocuere vias.
Tunc mors puniceo præcincta cruoris amictu
Sustulit horrendæ signa cruenta necis.
Ex illo cædes, & dira pericula belli
Mortis inexhaustas exacuere manus.
Et nunc nescio quis tua, pupule, membra cruētat
Sedulus, & roseo murice sanguis abit.
Sanguis abit dij pignus ferale doloris,
Et dij pingnus sanguis Amoris abit.
Crudelis qui te potuit perstringere culter,
Et quæ te potuit lædere, dura manus.
Quid queror infelix? non te, pulcherrime rerum
Cuspidis humanæ vis inimica ferit.
Vulnus

Vulnus habes, sed vulnus Amor facit, ille proter-
Mêbra ferit cultro, qui face corda cremat. (uus
O vtinam flammis, calido contentus & igni
Parceret & ferrum stringere durus Amor.
Ardentes fert ille faces, fert ille sagittas,
Ad flammas vulnus iungit, ad arma faces.
Interea, diuine, tuo de vulnere sanguis
Labitur, & rosei muricis instar habet.
Sancte cruor salue, quê nunc veneramur amâtes,
Cui faciles tellus pandit adusta sinus,
Expectatus ades dulcis cruor, aridus orbis
Te sitit, & guttas expetit herba tuas.
Hinc omnem formosa trahit natura decorem,
Hinc decor effluxit rebus, & inde nitor.
Mirabar roseo nuper quòd lumine cælum
Purpureo subitas duxerat orbe notas.
Blande puer, tuus ille cruor fuit, & tua tinxit
Purpura sidereos sanguinolenta sinus.
Vt primum fluxere tuæ, pulcherrime, guttæ,
Et tener immixto fluxit amore liquor;
Continuò rosei stillas hausêre cruoris
Ornatura suas sidera picta comas.
Stillarum decor in stellas euasit, & vltrò
Inter sidereas emicuere faces.
Sol quoq. diuini se sanguinis imbuit ostro,
Sidereo Titan ne foret igne minor.
Vmbrarum Latona parens se pinxit eodem
Murice, ne noctis læderet vmbra genas.
Hinc rapuit Matuta faces, hinc Lucifer ignes:
Hinc primus niueos sparsit Bous equos.
Hoc minio tellus infecit dædala flores;

Hoc

Hoc pinxit teneras Flora decora rosas.
Hinc & puniceos traxere corallia succos.
Hinc nituit rubri gemmea testa maris.
Cuncta tuum suxere, puer formose, cruorem,
Sed non & vulnus cuncta tulere tuum.
Vulnera solus habes, solus, diuine, dolores.
At cruor in nostras labitur omnis opes.
Ni cruor hic pingui fæcundet fruge nouales,
Fertilis ad fruges nulla noualis erit.
Ni cruor hic puris accendat amoribus orbem,
Impurus semper sordeat orbis amor.
Omnis honor rerum Domini de sanguine manat,
Omnis ab hoc castus sanguine manat amor.
Ergo Diue puer, diuinum funde cruorem
Nauigat hoc hominum vecta cruore salus.

AD ORIENTALES REGES

De Stella recens orta.

ELEGIA XV.

Vce noua noua flamma micat, gaudete Dynastæ
Memnonidæ: vobis aurea flāma micat.
Vos iubar insuetum patrijs compellat in oris.
Atq. alias alio monstrat in orbe vias.
Cernitis vt fuluum promittit crinibus aurum?
Vt rutilo centum fundit ab ore faces?

Sic

Sic loquitur cælum : cæleſtem credite linguam
  Fundere diuino molliter ore ſonos.
Non hæc cæſariem noctis deponit in vmbra,
  Nec ſecat auratam ſole micante comam.
Perpetua ſed luce nitens, & ſidere puro
  Nutrit inextinctam per ſua regna facem.
Non vnquam Cytherea pares dedit ore fauillas,
  Nata licet flammas, Phœbe, præire tuas.
Nec ſimilem cælo vidit ſplendeſcere lucem
  Cynthia, quæ cæli peruigil aſtra notat.
Par decus explicuit nunquam Cyllenius ignis:
  Explicuit numquam par Cynoſura decus.
Cuncta nouæ cedunt cæleſtia lumina flammæ,
  Tanta vel Auroram vincere flamma poteſt.
Sol etiam noſtro ſi ſeſe conſerat igni,
  Sol etiam noſtro fulgeat igne minus.
Hunc potior diæ lucis commendat origo,
  Huic venit ex ipſo lucida flamma Deo.
Lucifer hunc vltrò radijs accendit eois,
  Lucifer æternæ vena beata facis.
Memnonidæ ſaluete duces; date munera Diuis,
  Et date ſuccenſis maſcula thura focis.
Quæ quondam terris vates cecinere vetuſti
  Aurea promiſſi Numinis aſtra micant.
Veſtra nec aëreas ſpes irrita ceſſit in auras,
  Vota nec Armenij diripuere Noti.
Sidus adeſt rutili pignus geniale nitoris,
  Et Deus ipſe noui vena nitoris adeſt.
Quiſquis amat tantæ miracula cernere lucis,
  Et Numen magno de genitore ſatum,
Vt ſtipulis cubat in duris! vt vagit in antro!

Vt

Vt gemit! vt liquido totus ab imbre fluit!
Acceleret. signat certum fax præuia callem,
Aurea sidereas currere nata vias.
Tantum velle sequi mens audeat: ilicet Euros,
Et volucres cursu deseret: illa Notos.
Imò agite, & quia certa sequi stat corde volūtas,
Ite, nouam facili carpite calle viam.
Illa præit, viden vt niueis argentea flammis,
Aethereum liquido tramite fingit iter?
Iam Boreā fugit: extremos iam, vergit ad Austros,
Iam Zephyros prono lumine dextra tenet.
Ite duces, cursusq. citos æquate sequendo,
Iam celerem medio dirigit axe fugam;
Ite, licet terras alio sub sole calentes
Visere: vos cæli mollia iussa vocant.
Fallere nōn norunt cælestia numina Diuum.
Quidquid erit, merces magna laboris erit.
Aspexisse Deum nuda sub rupe iacentem
Fas erit, & teneris oscula ferre genis.
Ille puellari fundet sacra munera dextra,
Quasq. fouet superum regia diues opes.
Hactenus impuros orientia littora Manes,
Hactenus infernum sustinuere iugum.
Ficta ruent simulacra, suis iam Iuppiter aris
Exulat, & Martis templa profana ruunt.
Ante suos tripodes Phœbus iacet, & iacet omnis
Fabula, mentitos ausa referre Deos.
Fœda Venus fractos luget sine viribus arcus,
Et gemit Idalius tela retusa puer.
Numen adest, patrijs delapsum Numen ab oris,
Illius est felix parta labore quies.

Vestia

Vestra fides Reges, vestris Deus annuit orsis:
Vos primum rutilo sidera crine vocant.
Ite, labor vobis erit hic suprema laborum
Meta: quies animum non peritura manet.
Ite duces. vestris longum dominabitur aris
Quem canit exortum præscia stella, Deus.
Et quoties inter noctis spectabitis vmbras
Aurea vibratas astra rotare faces:
Dicite; dant alijs nocturnas astra tenebras:
At niueam nobis astra dedere diem.

MAGORVM

Ad Christum iter.

ELEGIA XVI.

ADde facem, fuluúq. nouis ardoribus ignẽ
Protinus ætherei filia pulchra chori.
Exere cælestes fax aurea Solis honores,
Pinge nouo vultum lumine, pinge genas.
Seu sacer irradias fatali crine cometes,
Seu potius casti sidus amoris ades.
Seu quicumq. micas fortunatissimus ignis,
Ignis inextinctæ prodiga vena facis.
Quidquid eris; nam te, ne sperent sidera sidus
Noctis ad excubias nocte parente satum.
Fætus lucis ades, lucem te poscimus omnes,
Profer inexhaustum luce micante decus.

Luce

Luce tua veteres abeunt ex orbe tenebræ,
Luce tua cælo nubila densa cadunt.
Te votis Oriens, te diffitus ambit Eous,
Sollicitat multa te prece fuscus Arabs.
Te petit atq. suam iactat Nabathæus alumnam,
Te cupido Ganges aurifer ore vocat.
Nilus ab occultis deducens fontibus ortum,
Et Thetis extremi littora clausa maris
Expectant tua signa: tuos visura decores,
Thura dat arsuris ora Sabæa focis.
Te fulgente, nouo sub lumine regia pubes
Ilicet ignotum currere discit iter.
Ergo sidereas bona fax molita quadrigas
Iunge peregrinas ad tua plaustra rotas.
Ipse nouas flammas, & non sua sidera Titan
Admirans lucis fræna regenda dabit.
Tu passim toto Regina vagabere cælo,
Et subdent famulas astra minora faces.
Ad tua Memnonij currunt vexilla Dynastæ;
Medus, & Armenij sub tua iura fluent.
Nonne vides veluti duce te sua littora linquunt
Regia barbarico murice picta cohors?
Tergemini proceres eoæ gloria gentis,
Sede procul patria proripuere pedes.
Hos agmen gentile triplex obit ordine terno,
Barbara regificos turba secuta duces.
Primus init campum bijugis sublimis in albis
Gaspar Orontææ gloria rara plagæ.
Non illo quidquam formosius edidit olim
Patria fæcundis ora beata iugis.
Intonsi niuea ludunt ceruice capilli,

Et coma cognatum fulua laceſſit ebur.
Aurea Sidonio cyclas ſplendeſcit in oſtro;
Fæmina Mæonia quam variauit acu.
Hanc circum dubios errat Mæander in orbes;
Et triplici flexo ſimplicat arte ſinus.
Gemma ligat facili pallam circumflua nodo;
Gemma coronatum cingit eoa caput.
Baltheus aurato gemmatus ac... pendet:
Baltheus Aſsyriæ; nobile gentis opus.
Haud aliter primo Phœbus collucet eoo,
Cum roſeo tenerum diuidit ore diem,
Pone ſubit ſenior gaza Garamantide diues
Melchior, Armenij plurimus orbis amor.
Bactra regit, campoſq. ferax quos ambit Araxes,
Quoſq. pharetratus ſulcat arator agros.
Hic domat ingentem ſublime ſedens Elephãtum
Arduus, & tantæ non leue molis onus.
Olli canities furuos argentea crines
Inficit, & ſpiſſam pingit honore comam.
Regia maieſtas fronti ſedet: aureus ignis
Ex oculis lucis viuida tela iacit.
Et ſuus eſt olli nitor, & ſua purpura fuco
Nobilis, & Tyrio tincta colore chlamys.
Emicat in paucis, animis, & viribus audax,
Pace bonus, belli clarior arte ſenex.
Talis in æterno quondam Saturnus Olympo,
Inter tot fratrum corpora, primus erat.
Vltimus incedit ſpatijs non vltimus auro,
Balthaſſar niueo conſpiciendus equo.
Hic Arabes nudos, & areniuagos Nabathæos,
Et patria Medos ſub ditione tenet.

Ex

Ex humeris curuæ pondus gentile pharetræ
Pendet, & intorto fulgurat ense latus.
Purpura Niliacis radiat distincta smaragdis,
Diues Erythræi quos vehit vnda sali.
Concolor argento decus immortale tiaræ
Fulget; & intextus plurimus ardet onyx.
Mille pharetrati iuuenes comitantur euntem;
Nigra coloratas barbara turba genas.
Vnus amor cunctis rutilani per inania flammam;
Saxa per, & valles, & caua lustra sequi.
Non illos glacialis hyems, non mixta pruinis
Flumina, non gelidis saxa morantur aquis.
Te duce, fas omnes, bona fax, tolerare labores;
Fas duce te longas transilijsse vias.
Ergò funde faces, & toto præuia cælo,
Fac pateant diæ rustica tecta casæ.
Fac subeant oculis paruæ magalia Bethles;
Antraq. nascentem nata fouere Deum.
Audimur. patuere tuo fulgore latebræ;
Lustraq. virgineis fæta puerperijs.
Ite duces; stabulo succedite: Numen in illo
Nempe subest: gressum sistite; Numen adest;
Itis, & horrores tuguri penetratis opacos,
Vestraq. diuino corda calore flagrant.
Felices: vos nulla dies, vos nulla vetustas
Arguet incassum tot superasse vias.

Et coma cognatum fulua laceffit ebur.
Aurea Sidonio cyclas fplendefcit in oftro;
Fæmina Mæonia quam variauit acu.
Hanc circum dubios errat Mæander in orbes;
Et triplici flexos implicat arte finus.
Gemma ligat facili pallam circumflua nodo;
Gemma coronatum cingit eoa caput.
Baltheus aurato gemmatus ac[illegible]e pendet:
Baltheus Affyriæ, nobile gen[illegible]is opus.
Haud aliter primo Phœbus collucet eoo,
Cum rofeo tenerum diuidit ore diem.
Ponè fubit fenior gaza Garamantide diues
Melchior, Armenij plurimus orbis amor.
Bactra regit, campofq. ferax quos ambit Araxes,
Quofq. pharetratus fulcat arator agros.
Hic domat ingentem fublime fedens Elephātum
Arduus, & tantæ non leue molis onus.
Olli canities furuos argentea crines
Inficit, & fpiffiam pingit honore comam.
Regia maieftas fronti fedet: aureus ignis
Ex oculis lucis viuida tela iacit.
Et fuus eft olli nitor, & fua purpura fuco
Nobilis, & Tyrio tincta colore chlamys.
Emicat in paucis, animis, & viribus audax,
Pace bonus, belli clarior arte fenex.
Talis in æterno quondam Saturnus Olympo,
Inter tot fratrum corpora, primus erat.
Vltimus incedit fpatijs non vltimus auro,
Balthaffar niueo confpiciendus equo.
Hic Arabes nudos, & areniuagos Nabathæos,
Et patria Medos fub ditione tenet.

Ex

Ex humeris curuæ pondus gentile pharetræ
Pendet, & intorto fulgurat ense latus.
Purpura Niliacis radiat distincta smaragdis,
Diues Erythræi quos vehit vnda sali.
Concolor argento decus immortale tiaræ
Fulget; & intextus plurimus ardet onyx.
Mille pharetrati iuuenes comitantur euntem,
Nigrà coloratas barbara turba genas.
Vnus amor cunctis rutilam per inania flammam;
Saxa per, & valles, & caua lustra sequi.
Non illos glacialis hyems, non mixta pruinis
Flumina, non gelidis saxa morantur aquis.
Te duce, fas omnes, bona fax, tolerare labores;
Fas duce te longas transilijsse vias.
Ergò funde faces, & toto præuia cælo,
Fac pateant diæ rustica tecta casæ.
Fac subeant oculis paruæ magalia Bethles;
Antraq. nascentem nata fouere Deum.
Audimur: patuere tuo fulgore latebræ;
Lustraq. virgineis fæta puerperijs.
Ite duces; stabulo succedite: Numen in illo
Nempe subest: gressum sistite; Numen adest;
Itis, & horrores tuguri penetratis opacos,
Vestraq. diuino corda calore flagrant.
Felices: vos nulla dies, vos nulla vetustas
Arguet incassum tot superasse vias.

AD HIEROSOLYMAM VRBEM

In illa verba: Surge illuminare &c.

ELEGIA XVII.

SVrge age, & ignauo languentia membra cubili
Tolle, diù longo pressa sopore Sion.
Ecce coruscantis processit sideris astrum,
Astrum, fatidici quod cecinere Patres.
Astrum, quo cæli collucent lampades, & quo
Gaudet sidereus pulchrius ire chorus.
Lumen adest, Solymæa, tuum, tibi lucidus æther
Accendit radio nobiliore diem.
Quin & Idumæos cælestis gratia colles
Occupat, & patrios læta reuisit agros.
Tolle oculos, ortumq. volens circumspice sidus,
Et vetus exorta disijce luce chaos.
Ecce procul fuscis tellus obducta tenebris,
Omnis in obscura condita nocte latet.
Et populos latè nigra caligine mersos
Nubilus atrato syrmate pallor obit.
At tibi sidereis lampas redimita fauillis,
Aduehit æternam nocte micante diem.

Aude

Aude animis, peregrina tuo sub lumine pubes
Iam volet errantes constituisse pedes.
Quin ipsi Reges tua per vestigia discent
Aethereas noto currere calle vias.
Verte oculos, circumq. tuas speculare cohortes;
Quà patet in vastos subdita terra sinus;
Hæc quæcumq. vides collatis agmina signis
Libera diuino colla datura iugo
Te poscunt, tibi se patrijs adiungere regnis;
Et famulas audent consociare domos.
Hâc extrema ferent peregrinam littora prolem;
Hanc tibi finitimi littoris ora dabit.
Longa tibi series natorum surgit ab Austro,
Et series ingens ex Aquilone venit.
Aspicies cætusq. tuos, populumq. frequentem;
Millia quot numquam Memnonis ora tulit.
Aspicies, nec iam cælestia gaudia longum
Clausa tuo poteris continuisse sinu.
Erumpent, numerum mirabere læta tuorum;
Dum stupet attonito pectore certa fides.
Mentior? an rubri iam te maris accola poscit?
Et subdit famulas Oceanitis aquas?
Iam tua longinqui relegunt vestigia Seres,
Iam tibi dat patrias Lydius amnis opes.
Quin & odorato properant ex orbe Sabæi,
Densiq. vicinis agmina lecta iugis.
Ipsa tibi Getula suos tellus Elephantos
Afferet, & Lybicas Africa vasta leas.
Accelerant quicumq. colunt deserta Canopi;
Quosq. niger fusco corpore mittit Arabs.
Et Parthi celeres, & areniuagi Garamantes,

Et Madian, & Ephæ pallida turba genas:
Thura omnes, costumq. ferent, frugesq. Sabæas;
Lectaq. de sacris cinnama nigra iugis.
Addunt inciso sudantia balsama trunco,
Filaq. purpureo pallidiora croco.
Et tenerum latè florem spirantis Amomi,
Et myrrhæ larga munera sparsa manu.
Præterea solido fuluos ex ære lebetas,
Flauaq. diuitibus fusa metalla cadis.
Omnibus intonsa frondescunt tempora lauro;
E medio radians vertice stella nitet.
Stella comes, longæq. viæ, duriq. laboris
Nuper sidereis addita stella plagis.
Omnes virginei celebrant cunabula partus,
Nec non Bethlææ rustica tecta casæ.
Ergò pone nouos tellus Solymæa furores,
Tellus heu puero non bene fida Deo.
Astra, viden? viden vt cælo tuus emicat ignis?
Vt rutilam vario flectit in orbe comam?
Te petit ille nitor, puro tibi nutrit in auro
Cæsariem, tenebras lux fugat illa tuas.
Illam oriens, illam patrijs Nabathæus ab oris,
Illam diuiso Maurus ab orbe petit.
Tu tamen heu lenta ducis sub nocte soporem,
O nimis in somnos desidiosa tuos:
Excutere ò noctemq. fuga: iam ridet Eous
Iam micat æterno charior igne dies.
Perpetuas meritò posthac patiere tenebras,
Si fugis exorto cernere Sole iubar.

IN CÆDE INNOCENTIVM

In Herodem.

ELEGIA XVIII.

PAcis amor Deus est, pacem mortalibus affert.
At Solymæ Rector bella cruenta mouet.
Quis furor est blandæ leges violare quietis.
Et semper rixas quærere velle nouas?
Exue crudelem, Regum sæuissime, mentem;
Pacis in auctorem bellica tela rotas?
Ferreus es, duro si membra tenerrima ferro
Cædis, & irato barbarus ense furis.
Si petis à puero roseum pro lacte cruorem;
Non tibi lacte parens vbera plena dedit.
Sed te Caucaseæ proiectum rupis in antro,
Pauit inhumanæ dira papilla leæ.
Te lea lactentem, te tigris Ibera veneno;
Te rabido puerum felle cibauit aper.
Creuisti ferale malum, monstrumq. nefandum
Inter cognatas agmina sæua feras.
Hinc & susceptum Lethæo gurgite Pluton
Mersit, & infernis ora refecit aquis.
Admouitq. focis resonantibus, & dedit omnes
Eumenidum diros corde bibisse dolos.
Mox, execratum Solymas abiecit in oras,

Prodigium populis exitiale tuis.
Improbe, quid tristi funestas clade penates?
Vnus vt intereat tot coiere manus?
Et puer est, & matris adhuc lactescit in vlnis
Quem petis: in puerum non pudet esse trucē?
Fac perdas multis quem perdere millibus optas;
Scilicet infantis de nece victor eris?
Atq. tuos inter titulos, claros q. triumphos,
Infantis teneri nex numeranda venit?
Fac nequeas: quam turpe manet te dedecus, vnū
Tot gladijs puerum non potuisse mori?
Quò te præcipitem regni male sana cupido
Abripit? imperij quo malus vrget amor?
Hei mihi, quam fœdo tua purpura tingitur ostro;
Sanguine si populi tingitur illa tui!
Eheu quam pullo frontem diademate velas,
Inficit humanus si diadema cruor!
Ah nimis infausto tua gloria surgit ab ortu,
Occiduam multis si feret illa diem.
Si tua ciuili pinguescit sanguine laurus,
Quam citò cupressus tam fera laurus erit!
O nimium sceptriq. tenax, fraudumq. malarum,
In superos demens tela corusca rotas?
Quid non suadet amor regni, sceptriq. cupido!
Hæc rapit humanas in scelus omne manus.
Hæc ferit armatos inter certamina fratres,
Hæc vocat in patrum pignora cara necem.
Testis Iëssæo soboles infida parenti,
Ah nimis Isaciæ fama pudenda domus.
Scilicet insano regni succensus amore
Fregit naturæ mollia iura puer.

Ah

Ah quoties nati genitor mollire furorem
Et voluit blandis flectere corda sonis.
Frustrà, nam monitus puer auersatus amicos;
Et molles dura respuit aure preces.
Ipse sibi, currusq. leues, celeresq. quadrigas
Aptat, & alipedes ad iuga iungit equos.
Ipse suæ demens nectit diademata fronti,
Et capit indigna regia sceptra manu.
Infelix, superum qui non benè prospicit iram;
Nec sentit propriæ se necis esse reum.
Sæpe parens monuit supremam funeris horam
Expectet, contrà neu ferat arma senem.
At soboles latos armato milite campos,
Occupat, & stricto barbarus ense furit.
Interea syluis genitor fugitiuus in altis
Vitabat capiti tela parata suo.
Ah quoties ausi profugum contemnere Regem
Sparsa per agrestes rustica turba casas!
Ah quoties cæcis latuit malè tutus in antris,
Dum coëunt reduces ad sua signa duces.
Mox etiam sæuis vltro concurritur armis,
Nec tamen in sobolem dirigit arma parens.
Ille quidem pugnæ certamen vitat, & horret
In prolem patria stringere tela manu.
Quin etiam ducibus dabat hæc mãdata vocatis;
Cum iam feralis posceret arma furor.
Parcite ductores de tot precor hostibus vni,
Ne mea cum nati funere vita cadat.
Patris habet natus vitalia flamina, nato
Parce precor, patri parcere quisquis amas.
Cetera crudeli sternatur clade iuuentus,

Tu quoq. qui dium ferro sectaris Amorem
Vt pereat; pænas mox, scelerate, dabis.
Tempus erit, nec longa dies, cum lurida tabes
Afficiet sæuis noxia membra modis.
In tua tunc frustra couertes viscera ferrum,
Arbitrium diræ non habiture necis.
Vindicibus tantum superis, scelerate, peribis,
Non semel ad lentas immoriture moras,
Occumbes cōmune odium Diuumq. hominumq.
Atq. tui; Stygijs debita præda focis.
At tu dum fremit arma ferox vesana Tyrannus,
Parue puer, patriæ tecta relinque plagæ.

DE FVGA PVERI IESV

In Aegyptum.

ELEGIA XIX.

NILIACI colles, & fertilis ora Canopi;
Tuq. tuo Memphis semper amæna solo:
Ducite tranquillo felicia gaudia vultu,
Et patrio molles ducite more choros.
O quæ lætitiæ surgit melioris origo!
Quæ subeunt puris gaudia pura fauis
Scilicet æternum vestris decus additur oris,
Et numquam Pharijs gloria nota plagis.
Numen adest, Aegypte, tuum. noua gloria Nilo
Additur: astrorum maximus auctor adest.

Excute captiua Stygias ceruice secures,
Et tua Tænario subtrahe colla iugo.
Vincla diu pressere tuas Cocytia palmas,
Et chalybes nexos implicuere pedes.
Nunc te libertas cælestibus asserit oris,
Et iubet audaci frangere lora manu.
Libertas, quæ lapsa polo seruile coërcet
Pondus, & ad Stygias monstra repellit aquas.
Vana superstitio iam dudum templa profanat,
Iam dudum Pharios polluit atra focos.
Exulet æternum vestris è finibus Apis,
Et procul excussis cornibus Isis eat.
Stagni petat Lethæa fremens latrator Anubis,
Et circum Stygias erret Osiris aquas.
Frange manu nigra Tartarei simulacra Tyranni,
Et subeat Ditis turba profana lacus.
Felix ò nimium felix si Numen amicum
Accipies placido barbara terra sinu;
Si dabis amplexus, & mollia brachia collo,
Oscula si puero non inimica feres.
Si succensa sacris crepitabit laurea flammis,
Et cadet æterno pinguior agna Deo.
O nimium dilecta Deo, Mareotica tellus,
Tellus delicijs facta superba meis.
Ille hominum, superũq. sator tibi pignora credit,
Pignora, quæ patrio Numine signat honor.
Excipe diuinum vultu plaudente puellum,
Auspice quo tellus Numina vera videt.
Isacia cæleste petit te pignus ab ora;
Isacis Aegyptum non semel ora beat:
Scimus vt Isacides Phariæ dux impiger oræ

Seruati

Seruati titulos, & decus orbis habet.
Somnia Niliacus tacita sub nocte Tyrannus
Viderat, & dubio pectore visa tegit.
Imperat acciri latos quoscumq. per agros
Fatidicos Nili sustinet ora senes.
Nec mora conueniunt regalia tecta frequentes
Turba veneficijs nobilis, arte rudis
Hos inter medios solio Rex nixus eburno
Visa sub obscura somnia nocte refert.
Visus eram Nili de gurgite cernere septem
Corpore præstantes prosiluisse boues.
Mirabar latos humeros, & læuia colla,
Et firmos dorso luxuriante toros.
Pascentes illæ pingui sub valle, palustres
Attondent salices, & sata summa vorant.
Non illis quidquam Pharij formosius agri,
Nec quidquam Nili pinguius vnda videt.
Interea totidem confecto corpore vaccæ
Attollunt imo fontis ab amne caput.
Hanc precor, hanc, Superi, terris auertite pestē,
Fædaq. Tartareo mergite monstra lacu.
Illuuies tenet ora, patent abscessibus artus,
Siccaq. feralis possidet ossa lues.
Hæ teneras herbas, & prata recentia tondent,
Et spoliant læta florida culta coma.
Quin ipsas toto connixæ robore pingues
Absumunt auido turpiter ore boues.
Forma decens, & mollis honos, & læta venustas,
Omnis abit, tristis destruit arua labor.
Ingemui, rursumq. meam noua somnia mentem
Certa per incertos abripuere metus.

Culmus erat felix, cerealis culmus aristæ,
  Quo nullus Pharjis pulchrior extat agris.
Hunc septemgemino fæcundat munere diues
  Spica per innumeros congeminata globos.
At procul hinc totidem sterilescit culmus auenis,
  Improbus, & lætos aridus vrit agros.
Vrit agros, vrit sata culta, boumq. labores;
  Et culmum, quo non pinguior alter erat.
Hæc ego per tacitam vidi portenta quietem:
  Cætera sit vester nunc aperire labor.
Dixerat hæc Princeps; olli commenta volutant,
  Nec vacat ambiguis fabula ficta dolis:
Nulla fides falsis, turbata mente Tyrannus
  Arguit horrificis anxia corda minis.
Isacides cæco tunc forte latebat in antro,
  Et scelus est sceleris nullius esse reum.
Sistitur hic Regi: media Rex turbidus aula
  Visa refert, visis stat sua certa fides.
Ille sub hæc: septem totos feliciter annos
  Vbertas, inquit, læta beabit agros,
Et septem totos consumptis frugibus annos,
  Deseret infelix arida culta seges.
Ergò venturo, bone Rex, occurre labori,
  Dum libet, & sæuam disce timere luem.
Elige qui pingues traducat in horrea messes
  Et populos certa sub ditione regat.
Hic septem latè laetissima farra per annos
  Congreget, & quidquid pinguius vber alit.
Interea dum dira fames depascitur orbem
  Tu bonus euersi conditor orbis eris.
Dixerat Isacides; dicenti talia Rector

Plau-

Plaudit, & hos stupido reddidit ore sonos.
O tandem serò dubijs mihi cognite rebus
Magne puer, regni te diadema manet.
Nulla meae sine te stabit fortuna coronae.
Vis potior sceptri te penes omnis erit.
Haec ait, & puerum gemma circundat, & auro,
Et nitidum collo donat habere decus.
Annulus in digito fulget stellante pyropo
Adstat & auratis regius axis equis.
Ille regit populos, illi Memphitica tellus
Paret, & obsequijs ambitiosa subest.
Dumq. fames omnes populatur pallida terras;
Hoc vno sospes praeside terra fuit.
Haec fuerint olim; sed tu nunc barbara Memphis
Maius ab Isacio littore pignus habes.
Si sapis, hoc vnum delubris adde vetustis,
Et fictos Erebum coge subire Deos.

MATRVM GEMITVS

in infantium cæde.

ELEGIA XX.

VGisti lethumq. puer, lethiq. procellam,
Inq. tuum, facinus, tela parata caput.
Fugisti, nec te Solymae populator iniquus,
Saeua nec hostili perdidit ense manus.
Et nunc Niliaca latitas fugitiuus in ora,

Et

Et placida lentas ducis in vrbe moras;
At tua turba, tui per vulnera mille puelli
Caesa puellari membra dedere neci.
Hos vtinam tecum rerum formose tulisses
Illa diu fuerat viuere digna cohors.
Ah puer ah nimium, nimiumq. oblite tuorum,
Ergo Niliaci littoris hospes eris?
Et poteris carae cunabula liquere Bethles,
Et dulces Solymae deseruisse plagas?
Scilicet vt viuas, patriae spernuntur arenae;
Vt viuas Bethles hospita tecta fugis.
Ah nimium vitaeq. tenax, & sanguinis infans,
Quae modo vitasti quam citò tela voles?
Quod si tanta tenet vitae tua corda cupido,
Tot ferro pueros ne patiare mori.
Hos cape longarum comites, fugitiue, viarum
Aequabit passus lactea turba tuos.
Tu fugis, hos durae rapit inclementia caedis.
Te labor, hos diri funeris vrna manet.
Forsitan & teneras iam nunc peruenit ad aures,
Quo fletu genitrix pignora rapta vocat.
En roseas laniata genas, laniata capillos,
Et duro nimium tacta dolore parens,
Infelix Rachel lacrymis indulget amaris,
Et quatit indigna pectora maesta manu.
Ah quos illa graues abrumpit perdita questus!
Vt ciet aligeros ad sua verba choros!
Vt reparat tristes noua per suspiria fletus!
Vt ferit arguto sidera surda sono!
Colligit exangues artus, auulsaq. membra,
Ossaq. funestis dilacerata modis,

Colli-

ligit, & tumulum pariter componit in vnum
Trunca, nefas, manuum segmina, trunca pedū:
ectat acerba tuens confusæ stragis aceruum:
Et sine flore genas, & sine luce faces.
extera per digiti nodos inserta sinistræ
Pendet inornatos flebilis ante sinus.
ra silent, lacrymæ tacitis voluuntur ocellis;
Et premit arcanus tristia verba dolor.
epe gemit, gemitus suspiria sæpe resorbent;
Alternant flendi ventus, & vnda vices.
andem vox gelidis erumpit mæsta labellis,
Et reddit tacitos frigida lingua sonos.
ristes relliquiæ & sæui monumenta doloris;
Et funesta oculis viscera sparsa meis,
ccipite hos gemitus, maternaq. munera fletus;
Quos amor in salsas soluit amarus aquas.
Non licuit plenas puro dare lacte papillas.
At lacrymas pleno reddere fonte licet.
Optaui saluos amplecti mater amores,
Abstulit heu demens dulcia vota furor.
Optaui soboles rideret læta parenti:
Heu sobolem cogor flere relicta parens.
O nimium, Libitina, meis contraria votis,
O nimium votis, lictor, auare meis.
Quis furor est puræ genitos modò lucis in auram
Ilicet vmbrarum restituisse chao?
Nil norunt nisi flere mei sua fata puelli:
In fletu crimen sæue Tyranne latet?
Lacteus infanti color est, & lactea ceruix:
Barbare, num lactis candida dona times?
Insontes qua lege petis? quo iudice damnas?

Ad

An ſcelus eſt puras fraudis habere manus?
Si pueros nullo conuictos crimine perdis,
Ergò, te genitos Principe, crimen erit.
O Solymæ labes, o noſtri dedecus æui!
O nimium terris prodigioſa lues!
Vſque adeòne cruor labris arridet, vt ipſum
Sanguine pro nigro lac truculentus ames?
Te ſuperi perdant monſtrum furiale Sionis,
Principe quo ſolus regnat in orbe furor.
Tecum nec Phalaris, nec turbidus ora Procuſtes,
Nec certet viuo Sarmata paſtus equo.
Tu conſanguineos crudeli funere mactas,
Et dira populos ſub ditione premis.
Tu pueros caræ veſtis genitricis ab vlnis,
Et necis infandæ fata ſubire iubes.
O ſoboles modò matris amor, nūc vulnus acerbū:
Quam citò te rabidi fulminis ira rapit!
Spes in flore meas turbo crudelis aduris,
Ah pereat perdit qui mea vota furor.
Ah quam triſte manet tanto de germine pignus,
Pignus ab euulſa flebile ſtirpe decus!
Ergò ego quæ fueram natis, fœcunda gemellis,
Orba queror nullis fata gemella malis?
Ah quantum rapuere boni mihi peſſima tela!
Ah quantum tulerunt inuida tela mali!
O vtinam lecto captaſſem cælibe ſomnos,
Inter Idumæas caſta puella nurus.
Sancta pudicitiæ ſeruaſſem fœdera virgo,
Nec noſſem tædas, o Hymenæe, tuas.
Nunc veteri decus intactum, titulumq pudoris.
Conqueror, & matris nomen inane fero.

Felix

lix Lucinæ nullos experta labores
Et pertæsa omnes vna puella viros.
uæcumq. est, molles quā non flexere Hymenæi,
Natorum dulcis nec stimulauit amor.
fortunatam nimium sua si bona norit,
Sordibus impuros non habitura toros,
i dulces vteri fætus, & pignora desunt,
At decus, & niuei fama pudoris adest.
i non illecebras, teneros nec narrat amores;
Cælesti pectus narrat amore flagrans.
Si noctes sterili trahit infæcunda cubili,
At fæcunda Deo corda cubile parant.
Si longe fallax decus est, & gloria matris,
Sunt etiam matris vulnera dura procul.
Nā mihi quid prodest, gemino quod pignore felix
Ibam per Solymas nupta superba vias?
Quam subitò periere mei, mea vota, gemelli?
Flos geminus gemina cuspide corda ferit.
Amisere suum felicia brachia pondus;
Pondere sed nimio viscera pressa labant.
Vt gemino nuper fulgebant ore gemelli?
Vnus in amborum lumine vultus erat.
Ah quoties primum dum quærit mater amorem,
Admouet hunc mammis, ille secundus erat?
Indiscreta fides, gratusq. parentibus error
Materiam nostris sæpe dedere iocis.
Materies ah dura meo nunc, nate dolori,
Occidis, hæc longum permanet, illa fugit.
Quò vultus abiere rosæ? quo læta venustas,
Oris, & intactæ nobile frontis ebur?
Et nitor, & sæuos species motura ministros?
Si

Si quis in indomito pectore sensus erat?
Sed nimis insanus facinus praeceperat hostis,
Et scelus vrgebat ferrea dextra nimis.
Ferrea, nam matrem, fuerat nisi ferrea, cæsam
Natorum comitem casibus ire dabat.
At tu qui superas rector moderaris habenas;
Per tam sæua ferus quem petit arma furor,
Concute fulmineos celsis de nubilus ignes,
Et pete periurum fulminis igne caput.
Tu bonus ò nostris accedas cladibus vltor:
Et quæ sponte mouet barbarus arma ferat.
Hos gemitus miseranda parens ad sidera iactat,
Ipsaq. dant mæstos sidera mæsta sonos.
Nec te maternæ flectunt, diuine, querelæ,
Nec te natorum funera sæua mouent.
Scilicet hos superis permixtos cætibus vltrò
Te dabis errantem picta per astra sequi;
Illas mox rutilis natorum fulgor ab astris
Imbuet æternæ molliter igne facis.

DE CHRISTI DOMINI *Cruciatibus Hortus Gethsemani.*

ELEGIA XXI.

NVnc ver purpureum, nunc formosissimus annus,
Nunc viridi pictus flore renidet ager.

Per-

gite Pierides lætos subeamus in hortos,
Hinc etiam vestris nectite serta comis.
thsemani saluete sinus, saluete recessus,
Syluaq. oliuifera semper opaca coma.
c densas inter myrtos, humilesq. genistas
Otia diuinus sæpe petiuit Amor.
ic lacrymis miscere preces assuetus amaris,
Distulit in longas tempora longa moras.
Vos coryli testes, & coniferæ cyparissi,
Testis & innocuo sparsa cruore salix.
Nunc etiam sacræ post vltima fercula cænæ
Dicitur huc celeres proripuisse pedes.
Quis scit an vt teneros decerpat pollice flores,
Ponat & in verna mollia membra rosa?
Quis scit an vt patulam captet feliciter vmbram,
Qua leuis vmbrosum ventilat aura nemus?
Fallimur incauti: non hæc Amor otia poscit,
Nec Deus humanæ commoda sortis amat.
Intrat odoratis halantes floribus hortos,
Dona sed ex hortis myrrhea carpit Amor.
Atq. vbi natiuo rosa purpurat aurea fuco,
Discit amatorem pungere spina Deum.
Sternitur herbosa mærens in valle, sed herbæ
Illius aspersæ sanguinis imbre madent.
Voluitur in medijs plantarum saltibus æger,
Planta sed infamem iam canit illa trabem.
Heu pietas! heu dia fides! sic tendis in hortos?
Hoc erat in molli, Diue, iacere rosa?
O pater, ô nostri generis lacrymabilis auctor,
Sic tua diuinus damna rependit Amor?
Hospes eras horti quondam gentilis amæni.

Hei mihi quam nobis flebilis hospes eras!
Ipsa tibi fruges tellus inarata ferebat,
Vndiq. perpetuo vere virebat humus,
Poma per arboreos pendebant obuia ramos,
Vbera pressuris plena ferebat ouis.
Lacteus hinc, illinc spumabat melleus humor;
Ibat & ambrosio plenius amne liquor.
Felix heu nimium felix tua si bona nosses,
Si nosses generi consuluisse, parens.
Mille inter plantas, inter florentia mille
Robora frondenti semper odora coma,
Vna fuit fætu pomorum fertilis arbor.
Fertilior nostris, proh scelus, vna malis.
Si sapis hanc fugias, veteri Deus ipse parenti
Dixerat, ingratæ semina cædis habet.
Dixerat, in celeres abeunt sacra dicta procellas;
Interdicta miser carpere poma cupit.
Ter conatus erat ferales flectere ramos,
Ter scelus exosæ diriguere manus.
Vicit amor tandem malesuadæ coniugis, & iam
Guttura sunt vetito conscelerata cibo.
Infelix pater exilio multatur acerbo,
Et manet in nostrum pæna paterna caput:
Ex illo tot acerba premi per damna nepotes,
Ex illo cædes, & fera tela pati.
Atq. vtinam solos rapiant ea fata nocentes;
Nec premat innocuum nostra ruina caput.
Scilicet hic scelerum longo post tempore turbo
Abstulit insontem dura per arma Deum.
Et nunc ille iacet molli proiectus in herba,
Victima feralis sanguinolenta necis.

mihi quam triſtis mentem funeſtat imago !
)ccurrunt mæſtis quæ ſimulacra modis !
ſua ferratis proſcindi terga flagellis,
am videt adſtrictas funibus ire manus:
:halybes videt, & necis inſtrumenta ſeuere;
Ah nimis in pænas ingenioſa ſuas.
c vidiſſe ſatis, ſentit quoq. vulnera, ſentit
Pectora ſupremis ſuccubuiſſe malis.
llet vt obſcuro violaria pallida vultu;
Vt roſa deiectis penè reuulſa comis.
on illum flores, non conſolantur amæni
Veris opes, murmur non ſalientis aquæ;
on auium cantus, tenui non aura ſuſurro
Flabilis, aut genitrix dædala mellis apis.
Ion illum Patris ſolantur iuſſa, nec illum
Lenit Olympiaca miſſus ab arce puer.
Omnia ſunt inamæna Deo: dolor anxius vrit
Pectus, & arcanos deuorat vſq. ſinus.
Triſtè iacet, gemituſq. ciet, lacrymiſq; refuſis
Indulget, lacrymæ munera vocis habent.
Ah quoties detrectat onus pars infima mortis!
Ah quoties mortem pars mage firma vocat!
Ah miſer alterna curarum fluctuat vnda;
Hinc dolor, hinc duri funeris vrget amor.
Vincit amor, iam iamq. ſedet ſententia menti
Certa, necis ſæuas oppetijſſe vices.
Hic amor, hoc [redacted]; cælo parere vocanti
Scilicet, & turpem ſuſtinuiſſe trabem.
Interea cruor attonitis ex artubus vndat,
Profluus, & multo labilis amne cruor.
It roſeo ſacer amne liquor, paſſimq. per herbas

Ro-

Roscida puniceo prata colore beat.
Sancte cruor salue, puro quem flumine primum
Vidimus humanæ ferre salutis opem.
Te propter tellus pictis non inuidet astris,
Nec sitit herbosum rosida dona solum.
Te canit, atq. suum iactat nunc orbis alumnum
Postquam mortali vestijt ore Deum,
Sancte cruor, quanam possum te dicere causa
Numinis intactos deseruisse sinus?
Sancte cruor salue, cui cuspis acuta pepercit,
Ne vis vlla tuo maior amore foret.
Sancte cruor, cordis quem prodiga vena refudit,
Fusus vt in pluuias sanguinis iret Amor.
Labere, sancte cruor, plenis iam labere riuis,
Crimina sunt riuis nostra pianda tuis.
Amne tuo Ditis piceos restinguimus amnes,
Amne tuo Cyprias perdimus vsq. faces.
Amne tuo cæli superas penetramus ad oras,
Ipsa tuo vehitur lætior amne salus.

AD CHRISTVM

Dominum columnæ alligatum.

ELEGIA XXII.

STat rigidæ mea vita, nefas, adstricta columnæ,
Dura nec æternus vincula soluit Amor.

Ah

Ah pereat quicumq. meum nudauit Amorem,
 Aspera qui circum brachia lora dedit.
Sidera si Domini possent circundare palmas;
 Sidera vix palmis Numinis æqua forent.
Quam ferus ille fuit validam qui tollere dextrã;
 Et didicit torto caedere fune Deum!
Non erat aptus Amor meus ad ferale flagellum,
 Illa manus silices digna ferire fuit.
Barbare, mortales non te genuere parentes,
 Nec tibi lac puero blanda papilla dedit.
Asper in vmbrosis te Caucasus edidit antris,
 Te niger in duro vertice fudit Atlas.
Te tumidis spumans è fluctibus expuit aequor;
 Te vomuit rapidis faeta Charybdis aquis.
Num te felle tigris? num spuma Cerberus atra?
 Num Diomedaeus sanguine pauit equus?
Num fera Tisiphone Lethaea proluit vnda?
 Vbera num Stygio lacte Megaera dedit?
Anguibus Alecto num te succinxit Auernis?
 Eumenides patrios num docuere dolos?
Saeue, nocens, scelerate, Deũ tu verbere crebro;
 Et potes innocuos dilacerare sinus?
Nec te diuini maiestas perculit oris?
 Nec frontis rutilae corripuere faces?
Crudeles laquei, crudelis tu quoq: lictor;
 Qui Domini multo verbere terga feris.
Debuerant frangi disiectis lora flagellis,
 Et grauis ad pulsus obriguisse manus.
Debuit æternum iudex horrescere Numen;
 Et furor in magnum mitior esse Deum.
Eheu quam validos repetitis ictibus ictus

Incut-

Incutit audaci vis inimica manu!
Mitius aestiuas olim terit area fruges,
Dum salit alterno verbere pulsa seges;
Mitius obscuro delabitur aethere grando,
Cogit vbi gelidas Parrhasis vrsa niues.
Mitius in caelum iactat sua brachia fossor,
Dum subigit duro pingue ligone solum.
Mitius obsessor solido quatit ariete muros
Miles ab euersa dum petit vrbe decus.
Mitius impositis incudibus Aetna remugit,
Dura Cyclopaeus dum quatit aera faber.
Et tamen ah lacrymis parcit Deus: ille dolorem
Supprimit, & maestis abstinet ora modis.
Adstat Amor, mollesq. iubet cohibere querelas,
Scilicet & fletus temperat acer Amor.
Ipse inhians oculos laniena pascit atroci:
Ipse aperit crebras ad noua damna vias.
Ah nimiũ generosus amor quid sanguine gaudes?
Quid tantum vires prodigis ipse tuas?
Ah quam saeua meum tempestas vrget Amorem!
En cadit heu, lethũ est iam prope: siste manum.
Siste manum lictor, quis te furor impulit vltrò
Auctorem vitae dedere velle neci?
Quid loquor infelix? duro sub verbere Diuum
Languet Amor, mortis victima dius Amor.
Effluit è venis roseus cruor, effluit vnà
Robur, at infixus cordibus haeret Amor.
Haeret Amor, quamuis vultus exanguis imago
Decidat, & sensim languida vita ruat.
Vos ò Cælicolae diros prohibete furores,
Vos decet æternae ferre salutis opem.

Verberibus pressus Deus occidit; occidat, inquit,
Acer Amor, sæuum vos prohibete nefas.
Nulla Deum valeant tereti religare columnæ
Vincula, ni dius vincula nectat Amor.
Frustrà diuinum proscindant verbera corpus;
Aspera ni dextra verbera vibret Amor.
Illius est quodcumq. furor meditatur acerbus,
Illius hortatu mors violenta subit.
Vulnera quæ totis liuescunt plurima membris,
Illius arcanum sunt ferientis opus.
Nil odium, nil ira sibi præsumpsit, Amori
Obsequitur, dirus dum mouet arma furor.
Mouit Amor ferrum, ferrum cum transijt artus,
Ipse manu flagrum sustulit, ipse trabem.
O saluete mei bona vulnera pignus Amoris,
Vulnera quæ pietas extudit, ira dedit.
Puniceæ saluete rosæ, quibus aurea fulget
Purpura, quam roseo murice tingit Amor.
Sidereæ saluete faces, quibus igneus ardor
Plenius æterni Solis ab igne venit.
O impolluto rutili fulgore pyropi,
Quos sacra virginei sanguinis vnda parit.
O pellucentes diuino nectare fontes,
Vnde suam pellit terra perusta sitim.
O pubescentes æterno germine flores,
Qui trahitis veris nobilioris opes.
Aeternum saluete; cruor mihi vellet olympi
Pandat iter, vestro tuta cruore via est.

AD CHRISTVM

Dominum ſpinis coronatum.

ELEGIA XXIII.

ILla olim ſuperi roſa fulgida gloria collis,
Atq; eadem noſtræ vallis apricus honor,
Spinarum riget inculto redimita galero:
Ah pereat campi ruſtica ſpina malum.
Heu ſcelus, heu quantū noſtris decus aret in hortis!
Perdimus æternæ ver geniale roſæ.
Ah quoties dixi: Solymas Roſa linque nouales;
Senticomos vepres iſta noualis habet.
Nunc caput agreſtis pungit paliurus, & oſtro
Spina tuo laceras tingit acuta comas.
Siccine puniceo tibi purpura murice fulget?
Ah quanti rutilum conſtat habere decus!
Seruares vtinam niueum Roſa candida cultum,
Spina nec intactas perderet atra niues.
Credideram vepres gentili parcere flori,
Et prædatricem noſſe ferire manum.
Nunc Roſa, me miſerum! ſpinis laceratur acutis,
Nec ſentit rigidos barbara dextra rubos.
Quid tibi cum tali, Florum pulcherrime, cultu,
Quem ſacra perpetuo gratia vere decet?
Excute ſpinoſum roſeo de vertice ſertum;
Non facit ad molles dura corona comas.

Tu caput astrorum radiantibus imbue flammis,
Aptior est capiti nulla corona tuo.
Te diuina super stellantis germina veris
Regius æterno murice vestit honor.
Illic siderei permixtus floribus horti,
Ducis perlongas otia læta moras.
Illic ambrosios pleno bibis ore liquores,
Et tua cælesti nectare labra rigas.
Nulla tuos illic lædunt dumeta nitores,
Proturbat roseum nulla procella decus.
Vnus Amor cæli, cælestes inter honores,
Crescis, & aprico sidera vere beas.
Hei mihi quā dispar Solymis tibi vultus in hortis
Redditur! heu quanto lucis honore cadis!
Hic Boreas te sæuus, & illætabilis Auster,
Et coniurato turbine vexat hyems.
Pro molli pluuia, puri pro nectaris haustu,
Obruit effusa turbidus imber aqua.
Pro circumfuso lucis radiantis amictu,
Ambit purpureo tincta cruore chlamys.
Et dumosus habet cælestia tempora cinctus,
Tempora Phœbæis lucidiora comis.
O quibus hæc oculis haurit spectacula cælum!
O quibus hæc animis agmina lecta bibunt!
Atq. aliquis Superum sua lumina contegit alis,
Lumina tam dirum nata videre nefas,
Scilicet est saxis, & duro stipite cretus,
Qui scelus hoc animo non renuente bibit.
O ego ne dium videam languescere florem,
Neu cernam teneram procubuisse rosam;
Quam malim medio cautes horrere profundo,

Quam mare, quā venti, quā fera turbet hyems:
Stare vel Alpinis obnoxia flatibus ilex,
Cuius inæqualis distrahat aura comas:
Nunc lacrymis, gemituq. & luctifico mugitu
Cogor ad insanos fundere verba Notos.
Parcite cælesti dumeta rigentia Flori;
Parcite: diuinas Flos habet iste notas.
Ite per hu nanos animis hostilibus hortos,
Hic vbi mortales Flora recludit opes,
Hic adeò violas, & molles perdite calthas,
Quasq. parit vili germine terra rosas.
Hunc mihi ne dumis, ne spinis pungite Florem,
Quem potior dij flaminis aura creat.
Nil hic iuris habet vestri, deducit ab astris
Et genus, & patriæ nobilitatis opes. (pres:
Quid loquor heu? rubuere sacro de murice ve-
Nec piget æternam dilácerare rosam.
Ah nimium dio suffusa superbit ab ostro
Spina cruentatis sanguinolenta rubis;
Ardescit minio stellati muricis, & iam
Vincit Agenoreo vellera tincta croco.
Dicite mi vepres; syluestres dicite dumi,
Quæq. meam perdis spina cruenta rosam.
Dicite mi, quæ cura meum tenet anxia Florem?
Quæ coquit arcanum lapsa fauilla sinum?
Dicite, nam latebras subijstis & abdita puri-
Germinis, & dium quà patet vsq. caput.
Scilicet æternum carpunt incendia Florem.
Arbitror hoc ipsos edidicisse rubos.
Credite mortales, flammis Rosa mollibus ardet:
Et medio scriptum germine reddit, amo.
Quasq.

Quasq. gerit spinas, veri gestamen Amoris
Sponte gerit. nostras spina retundit acus.
Nam nisi diuinum florem mea spina coronet,
Duritiem numquam perdere spina queat.
Cingite mi posthac spinoso tempora serto:
Discet odoratam spina referre rosam.

AD CHRISTVM DOMINVM

Sub cruce laborantem.

ELEGIA XXIV.

Væ Domini sacra terga premit, funesta cupressus
Heu nimis infando lecta ministerio;
Illa nec apricos inter durissima saltus,
Sustulit vmbrosum per iuga læta caput.
Pota nec æthereis pluuiali rore fluentis
Auxit regificum frondis honore nemus;
Nec liquidas fata propter aquas, vmbracula fesso
Mollia pastori Sole calente dedit.
Caucaseis sed nata iugis, rigidoue sub Hæmo
Præbuit indomitis horrida lustra feris.
Quin & Hyperboreis semper pulsata procellis;
Prælia cum duris gessit acerba Notis.
Nam quid inhumanũ magis, aut magè flebile vi-(dit,

Sol qui terrarum cuncta nefanda videt?
Illa meo pondus ferale parauit Amori,
Infamem Domino præstitit illa trabem.
Sed tamen Arctoæ quamuis subiecta pruinæ
Et Domini sæuæ lecta ministra neci,
Ah nimium dilecta Deo: Deus arsit in illa,
Et iussit patrium sustinuisse decus.
Nō tulit hanc Libanus, nō pinifer extulit Hermō
Non Erymanthæi rustica sylua iugi.
Sed procul Eois felix adoleuit in hortis,
Quæ tenuit primus culta beata parens.
Illic irrigui propter sata gurgitis vndam,
Antiquum tenuit veris alumna nemus.
Illam dius Amor superas frondere per auras
Iussit, & vmbrosas explicuisse comas.
Ipse rigauit aquæ salientis rore perenni,
Et circum ferri cuspide fodit humum.
Ipse coronato traduxit vertice ramos,
Quis credat? plantæ cultor agrestis Amor.
Ipse Palæstinas vltrò transuexit in oras,
Esset vt æterno sarcina dura Deo.
O quibus hanc inhians Numē cōplexibus arcet!
Vt gaudet trunco suppofuisse latus!
Oscula funesto libat castissima ligno,
Et fouet ardenti robora cara sinu.
Nec queritur, licet ingenti sub mole laboret,
Negligit immensæ pondera molis Amor.
Est iter ad collem, feralia culmina, collem
Discet vbi diro funere vita mori.
Huccine diuinum pietas perduxit Amorem;
Vt sibi dura necis pondera portet Amor?

Go-

Golgotha, purpureum Domini potura cruorem;
Golgotha, casuro culmina dura Deo:
Vos nunquam liquidi cælum beet vbere roris,
Nec riget effusa lympha salubris aqua.
Collibus in vestris ligno suffixa trabali
Pendebit sæuæ victima vita necis.
Quis ferat hæc sicco spectacula lumine quondã?
Quis neget in tanta claudere nocte diem?
Sol etiam rutilæ detracto lucis amictu
Scilicet atratis pallidus ibit equis.
Quam meliora dedit nuper spectacla Taborus,
Cùm Domini radijs irradiauit apex!
Illic æterna sub luce simillimus astris
Effulsit niueo lucidus igne Deus.
Ignis habet vultus, ignis caput, ignis ocellos,
Ignis ab accenso plurimus ore micat.
Purior argento chlamys enitet, enitet auro
Purior, æterno sydere picta cyclas.
Aurea collucet sacra sub fronte venustas,
Et gena Phœbæi sideris instar habet.
Quin etiam cælo vox exaudita sereno
Illum progeniem Numinis esse canit.
Ast hic cæde madens, & multo sanguine fædus
Languet Amor, miseris pallidus ora modis.
Membra cruor vestit: cruor hic pro lucis amictu
Sanguineo sparsum vellere syrma facit.
Qui Dominum multa tectum caliginis vmbra
Aspicit, aspectum nesciat ille Dei.
Vox etiam scelerata leues emissa per auras,
Euomit in Superos verba profana choros.
Ah ego ne videam talis spectacula pompæ.

Quam cupiam vitæ rumpere fila manu!
Nunc ò nũc liceat malè gratam linquere lucem,
Antè meus fato quam rapiatur Amor.
Dum rigidam mea vita trabem cõplexa lacertis
Nondum ſuprema nocte ſepulta iacet.
Vos quibus integro ſtat robore fortior ætas,
Quos iuuat extincto viuere poſſe Deo:
Vos ſupereſte; vocat me vis ſuprema; cadendũ eſt
Ante mihi letho, quam mea vita cadat.
Ergò ego nec te, Diue, ſacro de ſtipite cernam
Pendentem, duræ currere mortis iter.
Nec tumulo clauſum gelido comitabor amaris
Fletibus, aut membris oſcula ſumma dabo,
Hoc iuuat. ite procul mæſtæ, mea turba, ſorores,
Concinit extremum ſic moriturus olor.

IN OBITV CHRISTI
DOMINI.
ELEGIA XXV.

TE agite ignotum montis ſuperate cacumen
Pierides, illò vos iubet ire dolor.
Ire iuberet Amor, ni vertice fixus in illo
Staret Amor cuſtos immorientis Amor.

Ille

Ille Dei moribunda nigro iam lumina velo
Contegit, exanguem iam legit vngue rosam;
Iam violas ferit in vultu, iam lilia vellit,
Intactum frontis iam pice miscet ebur.
Iam legit extremam spirantis Numinis auram;
Iam necis instantis pallida signa leuat.
Ergò alacres properate piæ, mea cura, Camænæ,
Culminis infausti triste subite iugum.
Ite, nec Aonijs perfundite labra fluentis,
Ipse dabit Domini plena fluenta cruor.
Ite leui tractu, neu vos via fallat euntes
Quà mea præcedent corda, mouete pedem;
Est iter hoc solemne meo, mihi credite, cordi,
Iam didicit mæstas ire, redire vias.
Sæpe etiam eximo suspiria pectore fundit,
Et iubet indignæ currere rupis iter.
Ergò quà noto subeunt suspiria cliuo,
Discite monstrato carpere calle viam.
Mox vbi diuinis fæcunda cacumina pœnis
Contigerit certo posse tenere gradu.
Suppliciter iunctis contundite pectora palmis;
Et cadat, è pluuijs humida gutta genis.
Hic vobis Helicona liquor dabit, hic Aganippen,
Permixtus Domini mollè cruore liquor.
Ah quam dura refert sæuus spectacula collis!
Credite non alius tam fera collis habet.
Vestrum erit hic tragico carmen ferale cothurno
Condere, & arguto saxa mouere sono.
Saxa, nefas, Domini sæuos miserata dolores,
Ausaq. cognatis dissiluisse iugis.
Vestrum erit infandum seclis mandare futuris.

Supplicium, & lethi flebilis historiam.
Vt cæcis gens dira odijs agitata, cruentum
Immiti properet perdere cæde Deum.
Vt laceros artus diuino tegmine nudat,
Et renouet sæuis vulnera dira modis.
Vt sacra roboreo distendit brachia trunco,
Vt laceros fixo traijcit ære pedes.
Vt grauis indomitos molitur malleus ictus,
Vt caua vibratis ictibus antra sonent.
Vt sine lege furens vestigia nuda, manusq.
Vrgeat insanus terq. quaterq. chalybs.
Et turpes ignominias referetis, & actos
Per Domini, facinus! tempora vincta rubos;
Ah quoties inter gemitus, mæstasq. querelas
Obruet effusos lubrica gutta sinus!
Nec vos arborei pondus ferale trophæi,
Nec data prætereant myrrhea dona Deo.
Dicite diuinum quo vulnere lancea pectus
Hauserit, vt mixtus fluxerit imbre cruor.
Quo gemitu miserāda parens lacrymabile funus
Expiet; indignum quo bibat ore nefas.
Quid chalybes, quid lora ferat, quid tristis arūdo;
Spongia quid tetro pota liquore paret.
Cætera quid memorē? memorabitis omnia Diuæ
Quæ vos in rigido colle docebit Amor.
Omnia quæ siccis ne Sol spectaret ocellis
Delituit pullis puluerulentus equis.
Nec vos terruerint subita iuga scissa ruina,
Terra nec excusso mota repente solo.
Non excita suis simulacra perempta sepulchris;
Vela nec in partes dissociata duas.

Hæc

Hæc Deus, & maiora volet. vos dicite carmen
Flebile, quo tellus & iuga summa gemant.
Nec deerunt lacrymæ plorantibus: vndiq. riui,
Vndiq. luctisonæ præcipitantur aquæ.
Flent ipsi colles, flent, alta cacumina, rupes,
Molliter in fletus arida quercus abit.
Saxa gemunt, gemit assiduis singultibus æther;
Et ciet Aligerum tristia verba chorus.
Quod si digna Deo mens est dare iusta perempto,
Et cupitis fletus ad fera facta pares:
Ipsa dabit flendi leges, dabit ipsa gemendi,
Ah nimium flendi docta magistra parens.
Alma parens gemitusq. dabit, sæuumq. dolorem,
Et dabit ad querulas carmina mæsta lyras.
Illius ad questus ferales rumpite questus,
Ad lacrymas, lacrymas; ad pia verba, sonos;
Et quoties Matris feriunt suspiria cælum,
In cælum vester tunc quoq. luctus eat,
Tūc ego crediderim vos flumina turbida, & amnes
Posse moraturis sistere carminibus.
Omnia tunc vestras laudabunt secla querelas,
Secula Pierijs semper iniqua modis.



IN OBITV CHRISTI DOMINI

Solis pietas.

ELEGIA XXVI.


VITA perit. pereamus; habet solatia lethum
  Grandia, cum vitæ Præside posse mori.
Quid mihi cum nigræ densa caligine noctis,
  Dum meus extincto Lucifer igne cadit!
Quid mihi cum lacrymis, & luctificis lamentis,
  Gaudia dum cordis sunt resoluta mei?
Tempus erat vitæ, cum me mea vita regebat,
  Cum poteram lætus dicere: vita valet.
Nunc vbi fatales mea vita recessit in vmbras,
  Est vitæ merces plurima posse mori.
Ah nimis est vitæq. tenax, cupidusq. salutis,
  Viuere post vitæ funera quisquis amat.
Dicite vos elementa, grauem molita ruinam,
  Dicite concussis saxa reuulsa iugis:
An iuuet extincto producere Numine vitam?
  An leue sit vita cum moriente mori?
Felix heu nimium felix auriga diei.

Sol liquidas cæli currere nate vias:
Qui ne luminibus, funus tam triste videres
Diceris auratas occuluisse faces.
Tunc memorant, fusca tectum caligine cælum,
Antiquum terris extimuisse chaos.
Iam medium Titan superauerat igneus orbem,
Et sensim rapidos præcipitabat equos;
Cum videt, heu! duro pendens è stipite Numen,
Ora, nefas, miseris obriguisse modis.
Et videt, & vidisse piget; iam clauus eunti,
Frænaq. de trepida desiliere manu.
Iam stupet attonitus, gemitu iam pectora pulsat:
Ignea, iam liquidis fletibus ora rigat.
Nec face flagranti fletus caret: æstuat imber
Flebilis, & lacrymæ luminis instar habent.
O rerum portenta! suis madet imbribus ardor,
Et calido mollis fletus ab igne fluit.
Vnda rigat Solem. Solem quis crederet vnquam
Naufragium sicco posse sub axe pati?
Et tamen in fletus mæstos dum soluit ocellos,
Feruida dum multis pectora spargit aquis,
Oceano sensim lacrymarum mersus, & ignes
Obruit, & rutilæ sidera clara comæ.
Quin etiam moribunda niger dum lumina pallor
Conderet, hæc querulo carmine verba dedit.
O Solis, Sol alme, meos qui solus honores
Perpetua claros fulgere luce iubes:
Siccine funestæ tenebrosus imagine mortis
Inmortale tegis nocte nigrante iubar?
Siccine deiecta radiorum cyclade pura,
Induis obscuræ flebile syrma necis?

Heu

Heu ſcelus indignum! ſuperi fax alma diei
Eſt potis æternum depoſuiſſe decus.
Tène necis ſubijſſe vices, ſæuamq. procellam,
Arbitrium ſæuæ qui necis vnus habes?
Tène chao denſo tenebrarum cingier, vnum
Auſpice quo denſum ceſsit ab orbe chaos?
Aſpicit hòc æther, tellus videt, & tamen æther
Voluitur, & fixo cardine terra ſedet?
Heu pietas! ſic occiduo famulamur Amori?
Hæc bonus à nobis præmia Rector habet?
Fallor? an æternum iam iam natura tenorem
Deſtruet, & rebus libera fræna dabit?
Auguror. ipſa vices mutant elementa, laborat
Orbis, & emoto vertice nutat Atlas.
Iam mare, iam tellus concuſſa repente dehiſcit,
Saxa ruunt ſummis iam reſoluta iugis.
Reſtituunt Manes ſpirantia buſta ſepultos,
Et ſacra diſciſſo vellere vela cadunt.
Hoc benè: cũcta ducem me me Natura ſequatur:
Sic decet extincto reddere iuſta Deo.
Soluamus trepidi nutantia fædera mundi;
Turbemus ſtabiles per ſua ſigna vices.
En ego purpureum iam nunc è vertice crinem
Abſcindam, rutilum nec iubar axe feram.
Sidera, cui noſtros poſthac ſeruemus honores?
Ille bonus noſtri luminis auctor, obit.
Luna ſoror, tua flamma, tuus cadit aureus ignis.
Cornua quid multa luce replere iuuat?
Aurea vernantes ne fundite iugera flores,
Flos florum, veris gloria vera, perit.
Squaleat omnis ager: violæ lugete: liguſtrum
Pal-

Palleat, argentum lilia cana tegant.
Pone tuos amaranthe crocos, narcisse nitorem
Exue, purpureæ discite flere rosæ.
Flumina, ni fluctus lacrymarum voluitis; vndas
Sistite: iam viuæ vena facessit aquæ.
Auræ ne leni posthac spirate susurro;
Deficit ætbereæ lenior aura plagæ.
Plantæ ne cælo consurgite: Planta cruentum
Sustinet, heu lethi dura ministra! Deum.
Arguta volucres ne reddite voce canorem;
Cælicolum muto iam silet ore canor.
Dona tui ne mellis, apis, laquearibus infer:
Mel Superum tristi guttura felle madet.
Delphines medio posthac ne ludite ponto,
Funereo raptus turb.ne fusus abit.
Quod superest moriamur. Amor seue funus amāti
Exhibet occiduo præstat Amore mori.
Hæc ait, & nigra condit ferrugine vultum
Ilicet, & Solis Sol præit ipse necem.
Me quoque, Diue, meæ ceperunt taedia vitae:
Quid moror? extremam cōtrahe Parca diem.



AD

AD CHRISTVM DOMINVM

Lancea vulneratum.

ELEGIA XXVII.

HASTA tuum, diuine, latus quae cuspide fixit,
Ah nimis irati militis hasta fuit.
Scilicet extinctum violauit vulnere corpus;
Et laceros iterum rupit iniqua sinus.
Qui furor est eheu! clausas penetrare medullas,
Et toties fixum figere velle latus.
Ah nimis insanos, lictor, compesce furores,
Hoc latus ad vulnus semper Amoris hiat.
Vt vacet hasta, graues vt lancea comprimat ictus,
Attamen hoc ictum sic quoq. pectus erit.
Mille sacer puris figit diuina sagittis
Corda calor, curis mille refixit Amor.
Nunc etiam lethi pendet dum victima Numen,
Numinis in caeso pectore viuit Amor.
Viuit Amor, roseumq. fouet sub corde cruorem.
Et propè labentes miscet inultus aquas.
Et quibus affines à sanguine diuidat vndas
Legi-

Legibus; ignotum, diuidit ille tamen.
Nonne vides, vt iam patefacto pectore sanguis
Effluit? vt placido murmure lympha salit?
Ecquis in exangui potuit seruare cruorem
Pectore? quis socias iungere nouit aquas?
Vnus Amor, diuinus Amor miracula solus
Mille parit, studijs ingeniosus Amor.
Labitur humanas vt tergat flumine sordes
Vnda salutari suscipienda lacu,
Labitur vt nostrae felicia fœdera pacis
Sanciat, aeterno prodigus amne cruor.
O cruor optatae felix auriga salutis
Aduehe respersas sanguinis imbre rotas.
O bona lustrales iam iam paritura liquores,
Plenius in nostros lympha recurre sinus.
At tu, quae Domini peruadis lancea pectus,
Saeua licet, felix sis tamen vsq. precor.
Tu dios animosa sinus, & viscera pandis,
Et superas terris sponte recludis opes.
Fortunata nimis non te ventura silebunt
Secula, non memori nuncia fama sono.
Quale rubes magni perfusa cruore Tonantis!
Quale Dei pura lota nitescis aqua!
Quisquis in obstantes meditaris praelia Manes,
Et petis infernos per sacra bella Duces,
Hanc celer, hãc totis precor arripe viribus hastã,
Scilicet haec Stygios proruet hasta globos.
Quam fuit optandum penetrale subire beati
Pectoris, & dios transilijsse sinus!
Quae potuit Domini peruadere lancea pectus,
Non poterit famulas perdomuisse manus?
O bona

O bona seu Superos vltrò trahis hasta maniplos;
O bona seu Manes ad sua regna fugas.
Dic mihi, dic tandem fortunatissima cuspis
Cuspis amatorem figere nata Deum.
Dic age quae dium torrent incendia pectus,
Qua face, quo sacrum carpitur igne iecur?
Dic quibus in scatebris vitreis seclusus ab vndis
Spumabat roseo profluus amne cruor?
Dic quibus auspicijs rabidos euaseris aestus?
Ne caderes rapidis exanimata rogis?
An nisi diuinas cohiberet lympha fauillas
Isses in tenues sponte soluta globos?
Debuit ab sacra fornace liquescere ferrum,
Et lignum calidas corripuisse faces.
Debuit: at melius monumentum triste furoris:
Scilicet & dij testis Amoris ades.
Viue diu, ferrumq. tuum dum viderit orbis
Dicat, & haec Domini transijt hasta latus.

AD CHRISTI DOMINI

Tumulum.

ELEGIA XXVIII.

EC lacrymis satuiatur Amor, nec maesta querelis
Pectora ferales adde Thalia modos.
Heu caeli tumulatur Amor! fax dia sepulchro
Con-

Conditur, & fletus spargere Musa fugis?
Ite meæ tumidis lacrymae decurrite riuis,
Ite per humentes plena fluenta genas.
Fluctuet Oceano lacrymarum naufraga tellus.
In fletus orbis, si licet, omnis eat.
Scimus vt extincto lucis fulgore diurnae,
Aureus in medijs sol tumuletur aquis.
Sol quoq. diuinus nunc est tumulandus in vrna
In lacrymis vrnam præbeat vnda meis.
P, oh quantum sacri teget vrna beata decoris,
Cui dabitur clausum continuisse Deum!
Nempe Deus furuo quamuis veletur amictu,
Et nitidum tetro vinciat orbe caput,
Sic quoq. pulchra meis spectacula praebet ocellis,
Forma nec in lacero pectore tota perit.
Vt Domino vitam mors auferat, illa nitorem
Scilicet & flammas eripuisse nequit.
Numinis extincti formosius ora renident,
Quam nitor, & vultus, Phœbe corusce, tuus.
Siue meus coalescit amor, seu luce refulget,
Semper inextinctum nutrit in ore decus.
Non possunt, licet ipse velit, cessare decores,
Nec rutilae vultus succubuisse rosae.
Pulcher in occasu fulget mihi, pulcher in ortu,
Siue tenet terras, seu tenet astra, micat,
Sanguine seu tinctus, seu tinctus lacte, decorus
Purpurat, & venas luminis vnus habet.
Artubus in sacris nescit liuescere liuor,
Nec sordent sordes, & cruor ipse decet.
Durà mihi, non faeda mei se prodit Amoris
Effigies, certum posside illa decus.

Vt coma ſpinoſa rigeat redimita corona,
Eſt potis aſtrorum vincere luce comam.
Vt gena liuentes imitetur pallida calthas,
Audeat Hyblæas exuperare roſas.
O vtinam tumulus rapiat mihi nullus honores;
Diue tuos, verus tu mihi fulgor eris.
Huc celeres properate plagæ ſtellantis alumni,
Fida cohors, veſtrum ne tumulate decus.
Indignum eſt Titana rudi clauſiſſe ſepulchro,
Indignum rigida caute latere Deum.
Par Domino tumulus ſi quæritur, ite frequentes
Aligeri, cælum ſcindite; ferte faces,
Tota ruat picti ſublimis machina mundi,
Sidera de ſuperis cædite clara iugis
Ardua cæleſti ſurgat de fragmine moles,
Hoſpitium cæſo quæ dabit ampla Deo.
Ergòne diuinos breuis ambiat vrna decores?
Et condat Domini grandia membra lapis?
Ergò qui totum moderatur legibus orbem,
Claudet in obiecta nobile corpus humo?
Huc abijt ſacer ille Gigas? huc illa Tonantis
Vis recidit? ſaxum perbreue Numen habet?
Credite mortales parua tumulatur in vrna,
Qui magnum vaſti ſuſtinet orbis onus,
Qui mare, qui terram, qui cælũ Numine torquet,
Marmoris anguſti vix benè clauſtra replet.
Ite pererratis vtroq. ab limite metis,
Quærite quas diues ſufficit Indus opes.
Nobilior noſtra latitat theſaurus in vrna,
Par habet huic cæli regia ſola decus.
Fortunata ſilex Dominum complexa ſepultum,

Haud

Haud alius tecum certet in orbe lapis.
Non Mausolæum tibi conferat vlla vetustas,
Pyramidas Memphis barbara muta premat,
Non Rhodos insanum stupeat mirata Colossum,
Nec Capitolinam Roma superba domum.
Altius vt liquidum consurgat ad æthera moles,
Altera, nulla suo Numen in orbe tegit.

AD CHRISTVM DOMINVM

Inferna loca subeuntem.

ELEGIA XXIX.

INfernas etiam sedes, Manesq. silentes,
Et caligantis limina Regis adis.
Nec te triste chaos, nec te tenuere lacunæ
Diue, nec horrificis flumina cæca vadis.
Ah quibus hic Stygium nectis Plutona catenis!
Aut quæ de domino Dite trophæa refers!
Victor io, serpentigenas in vincla sorores
Conijcis, & toruos, rustica corda, duces.
Eumenidas nihil anguinei iuuere capilli,
Scyllæ Cerberei conticuere canes.
Tisiphone cæcis iacuit reuoluta sub antris,
Alecto valida compede pressa fremit,
Intremuere lacus Ditis, nigræq. paludes,

Et piger arrectis horruit Orcus equis.
Cocyti guttis rubuit grauis vnda cruentis:
Et Phlegethon toto fonte refudit aquas.
At domus Elysiæ fortunatissima sedis,
Diue, tuo niueam traxit ab ore diem.
Hic genus antiquum terræ, Patresq. reuisis
Isacidas, superis debita corda plagis.
Luce tua passim trepidæ fugere tenebræ,
Et nouus arcano fulsit in orbe nitor.
Te chorus Isacidum, veterum te turba parentum
Ambijt, auratæ te cecinere lyræ.
Et fortasse aliquis dulci modulatus auena
Carmina sub terra non peritura dedit.
Venisti nostrum tandem decus, ô bone Diuum,
Vna salus lapsis rebus, & vnus honor.
Quantum optate venis, vt te post impia lethi
Funera, post diræ vulnera mille necis
Accipimus: vicere graues tua corda querelæ.
Vicerunt nostræ pectora dia preces.
Venisti sperate diu. tua dulcis imago
Vera refert cordi gaudia, vera parit.
Non me fallit Amor, tua iam datur ora tueri
Sponte, datur rutilas cernere posse faces.
O nunquam frustrate pios, bone Diue, vocatus,
Seu prece, seu lacrymis, Diue, vocatus, ades.
Currite lætitiæ felices currite riui:
Mollia diuinus gaudia versat Amor,
En bonus assertor vitæ, vindexq. salutis
Victor ab extinctæ funere mortis adest.
En Stygiæ domitor noctis, sedisq. profundæ
Debellator, adit limina nostra celer.

En superum regnator Amor, vis illa beatrix
Cælicolum; victor pallida regna subit.
Currite lætitiæ felices currite riui.
Mollia diuinus gaudia versat Amor.
Dulcis Amor: tua te pietas, tua plurima virtus
Pertulit ad nostræ deuia tecta domus.
Sedibus ignotis sub opaca nocte sepulti,
Traximus obscuros te sine sole dies.
Vna tui spes fida comes, solatia cordi,
Certa dedit; dubijs affuit vna malis.
Hæc te fatidica venturum voce canebat,
Huc, vbi prostrata nunc nece victor ouas.
O bene susceptos per mille pericla labores,
O sparsas cælo non prohibente preces.
Ah quoties gemitus, quoties suspiria pectus
Fudit, & ardentes molliter ore sonos!
Ah nimis expectatus ades! sua gaudia nescit
Plurima cor tacito continuisse sinu.
Currite lætitiæ felices currite riui:
Mollia diuinus gaudia versat Amor.
Ah quanti tibi constat Amor, tuus, inclyte vindex
Funeris! vt dira cæde cruentus obis!
Quis memoret loris laniatum corpus acutis?
Quis rigida fixum cuspide molle latus?
Quis caput effossum spinis, palmasq. subactas,
Et laceros ferro transiliente pedes?
Spirat adhuc nō dum membris obducta cicatrix,
Purpureas puro flore datura rosas.
Spirat inhumani monumentum triste furoris,
Fallor? an æternum spirat Amoris opus?
Hæc Amor excudit bona vulnera, vulneraque nos,

No-

Nostraq. diuino crimina fonte lauant.
Currite lætitiæ felices currite riui,
Mollia diuinus gaudia versat Amor.
Talibus Isacidæ permulcent sidera dictis,
Et plaudunt facili molliter arte choros.
Diue subis, cæloq. volas iam liber aperto,
Et pingis radio lucidiore polum.

AD NVBECVLAM QVAE CHRISTVM

Dominum in cælum ascendentem suscepit.

ELEGIA XXX.

NE mi, ne Dominum furtim rape roscida nubes
Nubes sidereas currere nata vias.
Crede mihi scelus est cupidis inhiare rapinis:
Turpe malum terris inuida præda tulit.
Præda feras acies hostilibus induit armis,
Præda mouet rigidas in sua damna manus.
Præda viatorem sub opaca nocte cruentat,
Præda per æquoreas lintea pellit aquas.
Prædator latet in tenebris, & fraude magistra
Mille

Mille dolos aperit pectore, mille tegit.
Ergo prædandi ne te tam dira cupido
Vrgeat, vt Dominus sit tibi præda meus.
Sic Phœbi semper radio propiore nitescas,
Sic tuus æterno fulgeat igne decor,
Sic tonitru nunquam, aut telo scindare trisulco;
Scissa nec in tenues diripiare Notos.
Non erit hoc laudi nubes tibi, tollere furto
In medium diuis quod reserauit Amor.
Quid cupidæ fugitiua rapis solatia luci:
Siste parum, breuis est heu mora, siste parum:
Iam meus ad superos vltrò concedit Amator,
Vt tu non rapias, sic quoq. raptus erit.
Calle quid in medio solatia cara videndi
Eripis, & fuluo condis auara sinu?
Ah pereat quisquis furandi subdolus artes
Edocuit, quisquis non sua dona rapit.
Dura minus nobis hæc olim furta fuissent,
Cum longum nostro staret in orbe Deus.
Nunc quando patrias victor concedit ad oras,
Crimen erit media surripuisse via.
Illa mihi semper nubes celebranda, Tabori
Visa super summis irradiare iugis:
Condidit illa Deum gremio, sed protinus ipsum
Reddidit, & dij luminis auxit opes.
Tu rapis, & raptum cunctaris reddere pignus
Inuida. quis nubes tam mala furta docet?
O vtinam cadat in ventos vapor omnis, & omnis
Materies, nubes quæ super astra parit.
Perpetuo cæli tractus decet esse serenos,
Et solis vacuas nubibus esse vias.

Vna cauo nubes gremio complexa Tonantem,
Inuidet heu votis gaudia quanta meis!
Et nunc illa superba nouo fulgore per auras
Incedit rutilas eiaculata faces.
Quale nitet varijs depicta coloribus Iris,
Visa præire imbres roscida, visa sequi.
Aut quale in rutilis radiat Matuta quadrigis,
Solis inauratas visa referre faces.
Mirantur stellæq. procul, mirantur & ignes
Siderei, tantum nubibus esse decus.
Ipse etiam stupet insolita se luce minorem
Phœbus, & arcanum suspicit ore iubar.
Illa procul sensim liquidas inuecta per auras
Fæta Deo passim spicula mille iacit
Spicula diuinos radijs imitantia soles,
Spicula perpetuum nata referre diem!
Donec stelliferæ subit aurea limina sedis,
Et superis infert pignora rapta plagis.
Aeternum mihi cara vale pulcherrima nubes,
Quam meus aurato lumine pinxit Amor.
Nubibus his totus si se quoq. vestiat annus,
Auguror: haud vnquam nubilus annus erit:
Cumq. magis posthac æther volet esse serenus;
Hac vna tectus nube serenus erit.
O bona viue diu; nubes da roscida terræ
Munera; rore tuo pinguius vber erit.
Fortunata, tui semper dicentur honores;
Tu Domino currus, tu bonus axis eris.
Et nisi luminibus raperes sua gaudia nostris
Materies nostri carminis vna fores.

ELEGIARVM
LIBER III.
PVERILE SERTVM PVERO IESV A DEIPARA

Variis è floribus contextum. Deipara flores alloquitur.

ELEGIA I.

Vnc agite, ò florũ fortunatissima pubes,
Pubes infanti serta datura Deo:
Huc properate: iuuat facilem de more corollam
Texere, quæ nati pendeat ante comam,
Iussit agros meus iste puer vernare ligustris,
Et passim rutilas exiluisse rosas.
Iussit, & ante diem per rosida prata, per hortos,

Lilia natiuas exeruisse comas.
Nimirum cum sit veris flos ipse superni;
In terris etiam florida rura facit.
Non fuscæ violæ, non picta papauera desunt,
Non Aganippæi collis acanthus honor.
Aspice quam læto rident vaccinia vultu!
Vt crocus auricomo pulchrior ore rubet!
Omnis odoratis pubescit floribus hortus.
Iam frutices inter sidera nata putes.
Secula condit amor meus aurea, secula florum;
Secula quæ molli mollia pace fluant.
Iam tepidæ musto spumant vndante lacunæ,
Iam rigat herbosum saccharis vnda solum.
Iam patulæ quercus flauentia mella ministrant.
Melle fluunt fontes, flumina melle fluunt.
Lacteus exundat per iugera florea riuus,
Lacteus argentea desilit humor aqua.
Ambrosiam pura stillant dulcedine quercus,
Totus & in venas nectaris orbis abit.
Sidera mellitos rorant humentia succos,
Et vehit æthereas nobilis esca dapes.
Hinc & Palladio torrens pinguescit oliuo.
Hinc & puniceo vellere fulget ouis.
Omnis amat natura nouum reuocare decorem,
Et noua nascenti condere secla Deo.
Quid mirum viridi tellus si vernat amictu,
Et lætos rosea cyclade vestit agros?
Flos meus æternos veris stellantis honores
Liquit, & in dura nascitur exul humo.
Huic florũ famulatur honor. properate hyacinthi
Tuq. coloratis ò amaranthe comis.

Huc

Huc adsitis agri vernantis gratia calthæ,
Huc, narcisse, tuas prodige pande niues;
Serta paro genitrix nato nectenda puello,
Scilicet vt flores quos facit ipse gerat.
Felices nimium, mortalia sidera, flores,
Qui dabitis tenero mollia serta Deo.
Vos nunquam pluuio reuolutus ab æthere turbo
Distrahet, aut rigido cana pruina gelu:
Tutior est vertex diuinæ frontis, Olympi
Vertice; stant tuto munera vestra loco.
Sidera quæ celo fulgent affixa sereno
Inferius Domini vertice culmen habent.
Sed iam turba venit vernantum subdita florum
Ilicet ò faciles nectite serta manus.

ROSA CANDIDA

Ad puerum Deum:

ELEGIA II.

CAndores imitata tuos rosa filia veris
Addit odoratas ad tua serta niues.
Tota tibi est hodie, nitidū tibi lactea cultū
Dedicat, & fusam molliter orbe rotam.
Officium ne sperne pium, pulcherrime florum,
Neue peregrini despice veris opes.
Scimus vt æternos inter feliciter hortos
Sidereo pictus tempora flore nites;

Astrorum quà densa coit tibi turba micantum;
Et cingit rutilas ambitiosa comas.
At nunc Bethlæo quando requiescis in antro
Paruulus, & puro guttura lacte mades.
Accipias bonus ò nostri munuscula veris,
Quæ tibi de patrijs Flora coëgit agris.
Te nascente, nouo tellus pubescit amictu
Intempestiuo germine picta sinus:
Nuper inornatis horrebat squalida campis,
Hirta comas duris sentibus, hirta rubis.
Nunc vbi, pupe, tuus fulsit decor, ilicet herbæ
In flores teneras explicuere comas.
Passim punicei vernant per prata colores,
Et viridis vario sidere ridet humus.
Te rosa, te violæ, te mollis amaracus ambit,
Te reddit folio luxuriante crocus.
Explicat ante omnes rutilum tibi plenius ostrum
Vectus ab eoæ flosculus orbe plagæ.
Ipsa ego lacte tuo pinxi modo candida frondes,
Dum te materni pocula lactis alunt.
Lacteus in terram dum desilit humor, in auras
Ilicet albentes exiliere rosæ.
Lilia Iunonis si candida lacte nitescunt;
Lacte tuo munus fulgere maius erit.
Pupe, tui si lactis opes agnosceret orbis,
Non alias vanus quæreret orbis opes.
Sed iam lege noua tenerum rosa candida vultum,
Pupe, tibi supplex candida dona fero.
A te principium nostri fluit omne nitoris,
Ad te, qua fas est lege redire, redit.
Serta tibi niueoq. damus de flore corollam,
Quæ

Quæ tibi flauentes nectat vtrinque comas.
Non me candoris, frondis nec pænitet albæ,
Debentur puero dona pudica Deo.
Et tibi virginitas primis arrisit ab annis,
Virginitas puros intemerata sinus.
Et te casta parens casta profudit ab aluo,
Intacta Numen virginitate satum.
Et labes non vlla tuos fædauit honores:
Candidior cycnis nam tuus albet honor.
Ante tuas, diuine, niues, & lilia frontis,
Nigrescit primæ nobilitatis ebur.
Nigrescit pleno radians argentea cornu
Cynthia, nec nitida lampade candet Eos.
Has inter candoris opes, & lactis honores
Lactentem iubeas enituisse rosam.
Tunc ego perpetui seruabo dona nitoris,
Si dicar niueo serta dedisse Deo.


ROSA PVNICA

ELEGIA III.

Illa ego purpurei rosa fulgida solis imago
Picta sinus læto murice, picta genas.
Illa ego progenies tot clara ab origine florum,
Ruris honos, horti gratia, veris amor.
Quam solio insistẽtem alto, & regale tumentem
Reginam florum subdita turba colit.

Quam plebs herbarum demiſſa fronte ſalutat,
Et vocat agrorum deuenerata Deam.
Cui latus armatur dumis, cui ſpina ſatelles
Militat, & dura bella minatur acu.
Cui matutino liquuntur nectare rores
Et fluit in tenues fuſilis humor aquas.
Cui volucres gratum modulantur gutture carmē,
Et fundunt placido molliter ore melos:
Quam manus omnis auara petit: cui ſurripit vni
Prædatrix liquidi munera mellis apis.
Illa ego tot quondam titulis, tot clara triumphis
Viſa diu Phœbi filia, viſa ſoror:
Aſpectu nunc victa tuo, pulcherrime florum,
Submitto faſces ad tua regna meos.
Te naſcente, cadit florum decor omnis, & omnis
Gloria, quæ vilem non ſinit eſſe roſam.
Aſpicis vt noſter languet color, vt tuus arſit?
Et pudor eſt, roſeus qui fuit ante rubor.
Nec Domino ceſſiſſe piget; tu, pupule, noſtri
Ante tuos ortus cauſa decoris eras.
Arboreæ te dante comæ viruere per agros.
Per te purpureo germine fulſit humus.
Per te ſidereis vernarunt floribus herbæ,
Et frutices pictos explicuere ſinus.
Mentitur, quicumq; roſam de ſanguine tinctam
Stultus Acidaliæ credidit eſſe Deæ.
Illa tuo roſeas fucauit murice frondes,
Cum tu fucati muricis auctor eras.
Pupule deliciæ Superum, tu gloria florum,
Tu decus, & noſtri muneris vnus honor.
Hoc quodcumq; meū tua dat mihi forma decoris

Ad te conuerſo tramite Diue, redit.
Ad te noſter honos, ad te mea tota venuſtas
Currit, vt ad patrium labilis vnda lacum,
Sit mihi fas, formoſe, tuis dare ſerta capillis,
Fas ſit ſidereum cingere flore caput.
Ah te ne noſtri lacerent, molliſſime, vepres,
Non facit ad teneras ſpina cruenta genas.
Exue me rigidis, mollis puer, exue dumis:
Tum capiti veniam digna corona tuo.
Olim cum nondum fœdaſſent crimina terras;
Crimina, quæ priſcos corripuere Patres:
Nuda coloratos didici vernare per agros,
Spinarum nulla cuſpide fulta latus:
Mox vbi, proh facinus! ſcelerum dumeta per orbē
Inualuere; rubus me quoq; triſtis habet.
At tu, blande puer, noſtro de germine vepres
Excute, ne te pro flore vepreta petant.
Quid loquor? an puero vepres placuere tenello?
Anne Deum poſthac dumea ſerta iuuant?
Ah pereant vepres & acuta cuſpide dumi,
Si qui, pupe tibi ſpinea dona dabunt.
Ite procul dumi, ſentes procul ite rigentes
Florea ſunt puro ſerta paranda Deo.
Mox vbi creſcenti venient cum robore vires;
Incultum rigidi dent diadema rubi.



LILIVM.

ELEGIA IV.

NAscor odorato flos impollutus in horto,
Naturæ tenerum luxuriantis opus.
Forma decens, sublime caput, tornatile collum,
Et decus in nostro corpore molle nitet.
Truditur herboso viridis de cespite truncus,
Et procul intactum tollit ad astra caput.
Insistit culmo calycis sub imagine multus
Floris honos, quo non pulchrior alter hiat.
Lacteus in folijs color est, & lacteus orbis,
Orbe sed in medio lutea fila sedent.
Fila coloratas radijs imitantia linguas.
Siue sagittifera spicula missa manu,
Haud alij par candor inest per iugera flori,
Stet rosa puniceo murice picta licet.
Plus natura rosæ rubro de sanguine fudit,
Plus mihi de niueo prodiga lacte dedit.
Admouit me prima suis natura papillis:
Et iussit niuei sugere lactis opes.
Lactis opes omnes pleno siccauimus haustu:
Quid biberent posthac non habuere rosæ.
Et nitido pro lacte rubros hausere liquores,
Vnde color roseo sanguine mixtus abit.
At qui præterea candent per iugera flores

Stillarum guttis enituere meis.
Gutta cadens nostris intempestiua labellis,
Intinxit niueis alba ligustra notis.
Hæc olim; sed nunc mediæ sub sidere brumæ
Nascimur ad nutus, blande puellę, tuos.
Orta Notos inter rapidos, interq. procellas,
Et coniuratas inter adulta niues:
Te petimus; tibi deuotos sacramus honores.
Quippe tuo noster candor ab ore fluit.
Parue puer, cæli qui lilia nasceris inter,
Cui surgunt minio nobiliore rosæ:
Virginei candoris Amor quem traxit Olympo;
Et dedit agrestis claustra subire casæ:
Impolluta placent niuei cui dona pudoris,
Et thalamo gaudens cælibe castus hymen:
Hæc inter gelidas cape lilia nata pruinas,
Vda pruinosi quæ tulit aura Noti.
Non erimus, bone pupe, tuis incommoda sertis,
Nectemur serto si noua pompa tuo;
Seu te terra puer, seu pictus detinet æther
Emicat ex oculis candida vena tuis,
A te felices haurit Matuta nitores.
Et matutinæ munera lucis Eos.
A te noster honor fluit, ad te refluit idem,
Qui sine te fulget, non bene fulget honor.

CARIOPHYLLVS.

ELEGIA V.

ME quoq. tangit amor noto de flore corollam
Care puer, capiti composuisse tuo.
Vile decus formæ non est mihi, si mea iustis
Effigies oculis exagitanda venit,
Mille nouos refero vultus, & mille recludo
Ornatus, varij mille coloris opes.
Non ego vel minio tantum, vel lacte nitesco,
Nec refero solum fronde rubente crocum:
Sed fusca sub veste meus nunc ardet amictus,
Nec tamen in fusco murice forma perit.
Nam color eoo similis, similisq. veneno
Assyrio, multo fulgurat igne satur.
Cyclade nunc pura circumdatus, æmula vinco
Lilia lacteolis candidiora rosis.
Interdum picto manifestius ore rubores
Ostento, qualesignea Luna refert.
Interdum varia distinctus imagine frondes,
Quà face, quà minio, quà niue lætus eo.
Omne genus florum vincit mea forma, nec vllũ
Par mihi per campos surgit ad astra decus.
Qui pictam rutilis miratur nubibus Irim,
Me videat, florum pulchrior Iris ero.
Non me terra solo communibus excipit hortis;

Rure

Rure nec in medio latius vber alit.
Sed procul à florum turba, vulgoq. virenti
Fictilis angustam dat mihi testa domum.
Cetera per valles florum dispersa propago
Inter trita leuat germina vile caput.
Mi natura dedit vulgares spernere cætus,
Et sacri tantum liminis esse decus.
Quid quòd Orontæis perfusus germina succis
Vincere Panchæi dicor odoris opes?
Parcius inciso sudant opobalsama trunco,
Parcius vnguentis halat onustus onyx.
Alme puer si dona meæ clarissima sortis
Ipse tuis cupies composuisse bonis.
Sordescent: cadet omne meis è floribus ostrum
Protinus, & nullus stabit in ore color.
Nimirum, florum princeps tua forma comantum
Omne decus saltus, omne noualis habet.
Vnus ver terris, vnus super æthera condis;
Hic flores, illic sidera picta seris.
Nos humiles victiq. tuis aduoluimur oris,
Sternimur ad dios subdita turba pedes,
Vt iaceas puer, & gelido clauderis in antro,
Vt rigeant nimiò membra soluta gelu:
Sic quoq. mortales præstas, formose, decores,
Ore præis flores, sidera luce præis.
Quale solet viles adamas superare lapillos,
Sic tua cælestes gratia vincit opes.
Fulgoris fax ista tui potis vna nitores
Stellarum, & florum mille referre faces.
Salue magne decor cæli, ter maxime terræ,
Vni cui rerum subdita forma subest.

Salue,

Salue, meq. tuo capiti decus adde caducum,
Discat vt æternum stare caducus honor.

VIOLAE.

ELEGIA VI.

Allemus violæ, color hic est aptus amãti:
Et tibi sub tenero pectore viuit Amor.
Viuit Amor, qui te cælo deduxit ab alto,
Ante fugam volucrem temporis ortus Amor,
Viuit Amor, qui te gelidum, proiecit in antrum,
Et iubet Alpinas sustinuisse niues.
Qui tibi nec primis parcit violentus in annis,
Nec finit extremos molliter ire dies.
Et cum te furuo somnus velauit amictu,
Otia sopito languidiora facit.
Qui pallore tuos crebro suffundit ocellos,
Et iubet obscuras ora referre notas.
Ah quoties genitrix, dum te pallescere cernit;
Mæsta rogat, quisnam pallor & vnde tuus!
Miratur pueri misceri lilia nigro,
Et violis mixtas penè perire rosas.
Desine mirari flamma puer ardet amoris:
Penè pares semper pallor, & ardor eunt.
Ah miseranda parens quantus tua pignora pallor
Inficiet, cum iam firmior ardor erit!
Tunc formosarum penitus rosa picta genarum
Decìdet, & frontis lilia cana fluent,

Tunc

Tunc solæ violæ, mæsti solamen amoris
Inter funestæ symbola cædis erunt.
Pallebunt, facinus! laceri crudeliter artus,
Et sine lege manus, & sine more pedes.
Ora, nefas, fædo sputorum lurida cæno,
Nil nisi palloris tristia signa dabunt.
Pallor erit corpus, pallor gena, lumina pallor:
Et vultus, cæli gratia, pallor erit. (be
Tēpore quāquā illo Phœbus quoq. & aurea Phœ
Pallentes rutilam dissecuere comam.
Obsequium ferale Deo: mæstissimus orbis
In chaos antiquum penè solutus abit.
Non vlli flores illis per prata diebus,
Sunt visi lætos explicuisse sinus.
Sed mæstæ violæ naturæ flentis imago,
Et ferruginea taxus amara coma,
Infecere diem, flerunt Solymëiæ arces,
Fleuit oliuifero vertice tristis apex.
Fleuerunt valles, abruptaq. saxa dederunt
Ingentes gemitus, & sine voce sonos.
Terraq. concussis ab cardine fundamentis
Extremam populis est minitata diem.
Sed quid summa tuæ recolo spectacula sortis?
Nunc vbi vix primæ tempora lucis inis.
Parue puer violas niueis adiunge ligustris,
Ornet odoratas picta corolla genas.
Tempus erit quondā lacrymarum, flebimus olim,
Nunc facit ad risus nænia læta tuos.

LIGVSTRVM.

ELEGIA VII.

NECte liguſtra roſis, & floribus adijce flores,
Parue Puer, nectat noſtra corona caput.
Te decet æternis intexere ſerta liguſtris,
Nos tibi noſtra Puer munera ferre decet,
Lilia ſi demas, vix inter iugera florem
Inuenies nobis, fronde, colore parem.
Floribus argentum ſimulamus, fructibus aurum,
Palladiæ frondes arboris inſtar habent.
Ipſa Cypros, formoſa Cypros, quæ floribus halat,
Nomina de noſtro candida lacte refert.
In noſtras Aurora niues ſua lumina vertit.
Diſcat vt è noſtris quam ſit eburna genis.
Sed tamen hæc noſtræ felicia munera ſortis
Hei mihi quam ſubiti funeris ira rapit!
Alba liguſtra cadunt: veteres cecinere poëtæ,
Vera canunt; ſed non ſola liguſtra cadunt.
Hoc florum cõmune malum: tabeſcimus omnes:
Et datur hoc nobis viuere, poſſe mori.
Naſcimur ad ſubitum feralia pabula lethum,
Ilicet ad primos interitura Notos.
Quæ nos vitales eduxit vita ſub auras,
Vmbra fuit vitæ, funeris vrna fuit.
Quod ſi perpetuis vernarent arua liguſtris
Præ-

Præstarent superas alba ligustra faces.
Aurea quæ cælo collucent astra sereno
Si caderent, nostro flore minora forent.
Illa manent, nostri subitò moriuntur honores,
Vna dies flores parturit, vna rapit.
Sancte Puer, qui nunc melioris originis annos,
Et reparas vitæ deficientis opes,
Necte tuo capiti nostro de flore coronam,
Induet æternum nexa corona decus.
Non poterunt, diuine, tui marcescere flores;
Balsama vitalis muneris vnus habes.
Felices quicumq. sacro sub vertice vernant,
Auricomas Domini qui tetigere comas.
Non illis glacialis hyems subducet honorem,
Nec fati rigida conditione cadent:
Pubescent, astrisq. pares, nitidisq. lapillis:
Lætaq. perpetui tempora veris agent.
Immortale tuum decus est, æterna potestas;
Et coma sidereæ semina lucis habet.
Quidquid vbiq. viget solidum, durabile, fixum
A te fixa sui dona vigoris habet.
Quò propriore vides mortalia corpora vultu,
Longius hòc vultum funeris illa vident.
Qui tibi viuit honos nunquam lethale flagellum
Sentiet, ignarus stat tibi mortis honor.
Quid foret æthereis nunc sedibus, arduus æther
Si procul à dij luminis igne foret;
Sancte Puer niueis decus hoc adiunge ligustris;
Vt tua perpetuo tempora flore tegant.
Odimus & campos, & amænos odimus hortos,
Tu nobis campus tu bonus hortus eris.

Rura

Rura valete: vale nemorosæ vallis Ioppes,
Nos stimulat ruris nobilioris amor.

PAPAVER.

ELEGIA VIII.

Ecce soporiferum puer ad tua serta papauer,
Grata soporiferum dona papauer habet.
Otia sollicitis affert placidissima curis,
Cordaq. perfusa dulce quiete rigat.
Ah nimium vigiles traducis, pupule, noctes
Et vigil insomnes cogis abire dies.
Nulla quies oculis, nullus sopor irrigat artus,
Siue fugit cælo Cynthia, siue redit.
Acer Amor tacitis exercet pectora curis.
Perpetuo somni sedulus osor Amor.
Et somnos fugat ille tuos, & corda sagittis
Figit, & ardenses vrget in ossa faces.
Ah puer, ah nimium flammis agitaris Amoris:
Sæuus Amor placidos non sinit ire dies.
Ah quoties dum te noctis vigilare per vmbras
Aspicit indigno tacta dolore parens,
Nititur incassum pigros accire sopores,
Et somnos oculis conciliare tuis!
Nunc faciles versat cunas, nunc lumina claudit,
Nunc tenerum blando concinit ore melos.
Somne veni tranquille, canit; bone somne venito.

Huc

Huc ades, huc celerem ſomnule verte pedem
Te meus optat Amor, noſter tibi blanda Puellus
Vota facit. propera ſomnule, ſomne veni.
Somne veni, veniet tecum pax candida vultum,
Et roſeo vultum lumine picta quies.
Somne veni; tibi rore natant languentia multo
Lumina, te placido continet vmbra ſinu.
Adſis ò bone ſomne, meus tua munera poſcit
Pupulus, huc agili labere ſomne gradu.
Sentiat hic etiam placidi bona dona ſoporis;
Et ſua iam victus fœdera poſcat Amor.
Rūpe moras; bone ſomne, veni: quid lẽte moraris?
Huc age: iam tacitae tempora noctis eunt.
Mox aderit Matuta, procul tunc, ſomne, recedes,
Dum te lux niueis aurea pellet equis.
Nunc vbi nigranti denſantur nocte tenebrae,
Nunc properas; nam te pallor, & vmbra tegunt.
Luminibus te crede mei, taciturne, Puelli;
Proderit hic longas ducere, ſomne, moras.
Melle mei manant caeleſtia lumina Nati.
Mellitos poteris ſugere, ſomne, fauos.
Accelera: quate furtiuas per inania pennas;
Vt propè nunc adſis, ſic quoque lentus eris.
Pupe meus, mellite meus cape nocte ſoporem;
Somnus adeſt: molli diſce quiete frui.
Sat longas vigilare dies: da lumina ſomno;
Nocte ſoporatus fac requieſcat Amor.
Nūc mutae volucres, nūc & genus omne natātū
Ducunt per placidas otia lenta moras.
Nec lupus in ſyluis vigilat, nec paſtor in vmbra;
Nec canis in media perſonat vſque via.

Om-

Omnia somnus habet; tu tantum, pupule, nūquā
Fessa superfuso membra sopore rigas.
Ah tandem lentae cape munera sera quietis,
Ah nimium curis irrequiete Puer.
Haec genitrix noctis tenebras canit inter opacas,
Si tua forte sopor lumina victa premat.
Tu tamen vsq. tuis somnos excludis ocellis,
Somnus abit, vigili pectore regnat Amor.
Alma parens, da serta meo de flore Puello
Flos meus irrigui dona soporis habet.
Me duce victus Amor vigilantes claudet ocellos,
Et caecus, quondam qui fuit Argus, erit.

VACCINIVM.

ELEGIA IX.

NE fusci, formose puer, te terreat omen
Floris, habet fuscus grata theatra color.
Velatur fusco demissa modestia velo,
Et niueum pullo syrmate caelat ebur.
Quaerimus aestiuam laeti sub frondibus vmbram,
Ductaq. sub patula tempora valle placent.
Ipse sibi Titan fuscum circundat amictum,
Cum libet ardentes attenuare faces.
Fuscatur caelum, fuscantur sidera quondam;
Nec semper laudis praemia candor habet.
Candida luna micat, sed cum portenta minatur,
Ilicet in fusca barbara veste latet.
Terra colorata passim quae cyclade gaudet,
Non

Nō ſemper niueos gaudet habere ſinus.
Miſcet eburna nigris, & nigra colorat eburnis,
Et vario certum quaerit in ore decus.
Aſpice felici ſudantia balſama ligno,
Nigra peregrinae munera mercis olent:
Bacca ſuperfuſum tunc plenius edit oliuum,
Cum niger infecit plenius ora rubor.
Pallida mora rubent, violas palleſcere vidi,
Fert ebenum nigrae nobilitatis Eos.
Nec piget haec fuſcum vultu praeferre colorem,
Diuitiae melius nube tegente latent.
Quae ſecat aëreos tractus regina volucrum
Aëreos tractus fuſca colore ſecat.
Naturae vernantis amor palleſcit amellus,
Et pretioſa niger cinnama mittit Arabs.
Ergo, pupe, nigrum ne dedignare colorem;
Pulchrior in nigro gratia flore venit;
Sic vbi maiores molitur Cynthius ignes,
Gratior è fulua ſpicula nube iacit.
Nec meus in totum pallet color: aureus inter
Pallores fuluo purpurat ore decor.
Me ſertis adiunge tuis: ſtent lilia quamuis,
Stet roſa puniceo murice picta licet.
Non erit obſcurum noſtrum decus: omnia fulgēt
Luce tua: verus tu tibi fulgor ades.
Tu pubeſcentum decus, & noua gloria florum.
A te Flora ſuas ſedula lambit opes.
Quae tibi ſidereis haerent adiuncta capillis
Accipiunt, non dant aurea ſerta, decus.
Nulli diuinum flores augere decorem
Lilia nil, pictae nil valuere roſae.

Seu

Seu pice, seu minio, seu lacte nitescere flores
  Flora videt; tua nunc munera Flora videt.
Tu ver purpureum primis Aquilonibus offers,
  Et paris in medio lilia cana gelu.
Felices quicumq. tuo sub sidere flores
  Nascimur; hæc florum fama perennis erit.
Nulla dies nobis prætendet funeris vmbram.
  Principe sub vitæ funeris vmbra fugit.

AMARANTHVS.

ELEGIA X.

Ternas amaranthus opes imitatus, & ignes
  Sidereos, refero laeta per arua comam.
Aureus in folijs color est, & lacteus auro
  Mixtus honor, fato non periturus honor.
Cetera per campos labuntur inertia passim
  Germina, deciduo languida flore caput.
At mea me virtus multos traducit in annos,
  Et iubet æternos continuare dies.
Quin vbi me secto decerpsit dextera trunco,
  Noster ab exequijs largior extat honor.
Immortale meum decus est, & nomen ab ipsa
  Exemptum fati conditione fero.
Ipsa suo quamuis rosa picta superbiat ostro,
  Vix potis est titulos æquiparare meos.
Vt me puniceae præcellat imagine formæ,

Non

Non tamen eſt formæ longior ille nitor.
Vt citò languefcit folijs! vt pallida marcet!
Vt fragilem lapſo deijcit orbe rotam!
Nuper honos florũ, mox dedecus, abijcit oſtrũ;
Non coma, non ſtabili purpura luce manet,
Vix gelidi flauere Noti, vix ingruit Auſter,
Vix medio Titan prouehit orbe diem.
Vix veſper rubuit ſerus, cum forma roſarum
Ilicet excuſſo languida flore cadit.
O breue ver florum! breuis ò fortuna decoris!
Vt citò mortalis gratia fluxa perit!
Procumbunt biferi celebrata roſaria Pæſti,
Nec longum rutilas poſsidet Hybla roſas.
Par manet interitus violas, par funus Acanthum;
Candida deficiunt ſorte liguſtra pari.
Lilia Iunonis de lacte nitentia quondam,
Quam citò natiuas depoſuere niues!
Vere nouo quoſcumq. parit per iugera flores
Flora, coloratas occuluere faces,
Ilicet omne perit campi decus, ilicet herbæ
Languidulo paſsim flore per arua iacent.
Vnus ego hybernis flos immortalis in agris
Aeternæ refero fertilitatis opes.
Me neq. turbato delapſus ab æthere fulgor,
Sæua nec irato miſſa procella Noto.
Turbine nec ſæuo gaudens nimboſus Orion;
Nec terret gelida nubilus imber aqua.
Grãdine cum quatitur tellus, cũ fluctibus æquor;
In media noſter cæde triumphat honor.
Viuimus, & nullas horreſcimus ætheris iras,
Seu face, ſeu niuibus preſſa laboret humus;

Hæc

Hæc noſtræ, formoſe puer, ſunt munera ſortis,
Munera ſed ſortis nunc melioris amo.
Grata tuis opto componere ſerta capillis,
Diuinumq. meo nectere flore caput.
Hoc mihi contingat, vos rura valete propinqui
Collis, & aprico germine terra vale.
Ilicet æthereos dicar tranſcriptus in hortos,
Si vacet æterno nectere ſerta Deo.
Alma faue genitrix, noſtri tu floris honores
Ornamenta tui pignoris eſſe iube.

NARCISSVS.

ELEGIA XI.

AH pereat mendax Graiorũ fabula vatum,
Quæ mea mentito carmine fata canit.
Non me Cephiſus tumidis pater edidit vndis,
Nec peperit medijs Lyriopæa vadis.
Non ego fallaci deceptus imagine formæ
Effigiem didici ſtultus amare meam.
Fulmina nec vidi, quae me fecere nocentem.
Nec meus è gelidis fluctibus arſit amor.
Nulli fas hominũ, pro membris ſumere frondes,
Nec potis humanus fertilis eſſe cinis.
Aura tui, diuine puer, me laeta Fauoni
Iuſsit in herboſa tollere valle caput.
Horrida me duris ceperunt arua pruinis.

Bruma pruinosis dum riget hirta comis.
Filius hyberni sum sideris. haud ego vidi
Purpureas veris candidioris opes.
Erectus virtute mea orumale flagellum,
Telaq. vibrati fulminis atra fero.
Forma mihi, geminúq, decus. pars altera cãdet,
Altera luteolo vernat odora croco.
Argentum fuluo sic olim iungitur auro,
Sic rutilant pictis mixta ligustra rosis.
Vertice sic vno fumantibus Aetna fauillis
Aestuat, & canas nutrit inulta niues.
Latius excurrit foliorum lacteus ordo:
At crocus angusto clauditur orbe minor;
In medio tria fila croco prognata virescunt,
Fila ter æternum visa referre Deum.
Flos vnus, tria fila, Deus, Deus vnus, ab vn
Numine tergeminum nectit in orbe decus.
Parce puer; si magna tuæ miracula famæ
Attenuare meis versibus ausus eram.
Nostra tuo de fonte fluit delapsa venustas,
Qualiscumq. nitet te meus ambit honor.
Serta fero, diuine, tuis nectenda capillis,
Nec piget hybernis solibus esse satum.
Nimirum verno qui surgunt sidere flores
Cernere nascentem non potuere Deum.
Me tibi coniunxit natalis lucis origo,
Nascimur hybernas inter vterq; niues.
Te gelida nudum cepit sub rupe december,
Me meus in nuda valle december habet.
Sorte pari liquidas haurimus luminis auras,
Me pluuiæ; fletus te tua gutta rigat.

Tu Borea bacchante niues, & frigora sentis;
  Me premit adstricto dura pruina gelu.
Tu toleras sæuas Aquilonibus obuius iras,
  Sæua procellosi me premit ira Noti.
Gramineo diuina toro tu membra reponis,
  Noster ab herboso gramine surgit honor.
Materno tibi læta parens dat lacte papillas,
  Me quoq. telluris lætius vber alit.
Omnia conueniunt: nostri cape munera floris,
  O flos, ò florum nobile, pupe, decus.
Sic ego qui fueram gelidæ modò gloria brumæ:
  Gloria diuini plurima veris ero.

HYACINTHVS.

ELEGIA XII.

DAmnatus lacrymis flos, & pallentibus vmbris,
  Et datus infestis obuia præda Notis.
Ille ego sum nigro mærens Hyacinthus amictu,
  Et ferrugineis decolor ora notis.
Me mæstæ referunt violæ, me nubilus æther,
  Me maris irati mobilis vnda refert.
Squalescit nostri funesta coloris imago,
  Et tristes aperit litera scripta vices.
Infecisse meas olim Telamonius Aiax
  Narratur frondes, & violasse decus;
Cum perijt duro trasfixus viscera ferro,

Victima quæsitæ sanguinolenta necis.
Fertur & Oebalius crudeli cæde peremptus
Dura puer folijs fata dedisse meis.
Fabula. quid prodest inter mendacia flores
Spargere? quid vanis pingere prata iocis?
Nimirum nostri monumenta cruenta doloris,
Augurror è vena flebiliore fluunt.
Me natura parens tristi tunc edidit ortu,
Humanas doluit cum miserata vices.
Viderat antiquum viridi de sede parentem
Abiectum miseræ tædia ferre moræ,
Et penè assiduo mæstum tabescere luctu,
Inter syluestres horrida tesqua rubos.
Ingemuit, mæstiq. parens insignia fletus,
Dicitur in folijs explicuisse meis.
Hinc ego funesta tectus ferrugine vultum
Humani generis tristia fata fleo.
Hinc illæ nostra tristes in fronde querelæ;
Scriptaq. sanguineis carmina pulla notis.
Infelix hyacinthe; manet te flebilis ergò
Conditio? semper publica damna gemes?
Non ità. iam nostris diuus puer editus oris,
Antiquæ reparat fata cruenta necis.
Alme puer veteres, duce te, fugere querelæ:
Et mæstæ terras deseruere vices.
Te nascente, nouo plauserunt gaudia risu:
Nempe tuo noster risus ab ore fluit.
Nullus corda dolor, nullus premit anxia mæror
Pectora festiuo gaudia fonte, sonant.
Quin & lætitia tellus perfusa recenti
Sponte nouas affert ad tua serta rosas.

Et molles violas, immortalesq. amaranthos,
  Et rubros ostro lucidiore crocos.
Me quoq. felices inter consurgere flores
  Iussit, & intacta pandere fronde decus.
O florum, puer alme, decus, te Numine viso
  Ilicet è nostro germine mæror abit.
Irradio fulgore tuo, nitiduq. per herbas
  Læta colorati tempora veris ago.
Nec ferrugineus color est meus: aurea fulget
  Cyclas, & infaustæ procubuere notæ.
Salue, blande puer, mortalis gloria veris,
  Auspice quo nullus germina mæror habet.
Ante omnes tibi natiuos hyacinthus honores,
  Sertaq. depicto debita flore refert.
Accipe: meq. tuis vltrò, puer, adde ligustris,
  Te sine nil lætum germina nostra vident.

GRANADILLVS

Seu flos Indicus.

ELEGIA XIII.

VSque coloratis nuper deuectus ab Indis
  Ignoti refero flos nouus orbis opes.
Gloria Memnoniæ fortunatissima syluæ,
  Dicor Idumæas appetiisse plagas.
Longa soli refero dispendia, longa viarum:
  Penniger at longum nil sibi credit amor.

Aduenio, quò, Diue, meo tibi flore coronam
 Intexat facili molliter arte parens.
Quid loquor ah demens? ah ne, pulcherrime rerũ,
 Dura peregrini munera floris ama.
Barbara me tellus vitales fudit in auras,
 Barbara, sed quamuis barbara, cara tamen;
Nescio quid crudele meus præsagit amanti
 Floris honos: sæuam nunciat ille necem.
Læta, Puer, facies, & læti floris imago,
 Ah nimium duri signa doloris habet.
Quid mihi cũ clauis? quid cũ candente cylindro?
 Quid tibi cum folijs spina cruenta meis?
Quis faber impressit iucunda vulnera flori,
 Quina coloratis quæ rubuere notis?
Quo minio natura parens? quo muricis ostrô
 Infecit nostras sanguinolenta comas?
Vnde mihi tereti defixit in orbe columnam?
 Vnde necis sæuæ tot monumenta dedit?
Qua iussit solidum fornace liquescere ferrum?
 Vnde mihi triplici cuspide clauus inest?
Quæ mihi dumosum manus addidit aspera sertũ?
 In gyrum rigidas quis tenuauit acus?
Ah puer, ah rerum quondam vitalis origo,
 Tũne mei quondam germinis auctor eras?
Arbitror; ipse meum fucasti murice vultum;
 Ipse coronatum sentibus ire iubes.
Ipse manu teretem tornasti, Diue, columnam;
 Auspice te triplici lusit in ære chalybs.
Atq. vtinam in nostro tantum depicta virescant
 Flore puer, diræ symbola dira necis;
Nec tibi diuinos lacerent crudeliter artus;

Nec tu funeſtos experiare rubos :
In folijs, diuine, meis innoxia ludunt
Spicula, nec vulnus ſpina cruenta facit.
Nec cruor exundat roſeus, nec ſanguinis imber,
Nec lacerant molles picta flagella ſinus.
Te manet iſte labor, ſæuos te poſcit ad vſus
Barbara ferali ſcena parata neci.
Omne meæ frondis decus, & fucata venuſtas,
Creſcit in exitium, pupule blande, tuum.
Ornamenta mei tua ſunt incommoda floris.
Hei mihi de Domini cæde ſuperbus eo.
Ludit in herboſo diuinum germine funus;
Et præit immitem dira figura necem.
O vtinam cadat ante meis è frondibus oſtrum
Quam cadat è cæſo gutta cruenta Deo.
Me ferat ante vagus cæli per inania turbo,
Quam te funerei turbinis ira, puer.
Decidat ante meæ ſimulacrum triſte figuræ,
Quam tua crudeli peſte figura cadat.
Parce, puer, rigidis dare mollia membra flagellis;
Ah tibi ne tenerum ſauciet haſta latus.
Excute dumoſum ſacro de vertice textum,
Parce manus ferro lædere, parce pedes.
Me miſerum! ſtant fixa tui tibi fata doloris,
Vulnera diuinus iam meditatur Amor.
Occumbes. iam, Diue, mei cape munera floris:
Vectigal duræ flebile ſortis habes.



CAL:

CALTHA.

ELEGIA XIV.

CAltha noui nec veris honos, nec pompa noualis,
Sed magis exigui stella caduca soli.
Non inuita mei trado tibi floris odores,
  Pubis odoratæ gratia rara, Puer.
Quis fugiat tecum longas traducere noctes?
  Vel tecum placidos continuare dies?
Allicis ore, trahis risu, blandiris ocellis,
  Spe recreas, nutu flectis, amore beas.
Delicijs fluis omnis; habet solatia vultus,
  Mel lacrymæ, nectar guttura, lingua melos.
Adde decoris opes: rutilum coma prodigit aurū,
  Argentum ceruix, gemmea dona manus.
Adde faces, nitidumq. decus: gena purpurat ostro;
  Scintillant radijs lumina, luce sinus.
Care puer, ne temne mei munuscula floris,
  Aspera quæ medio frigore bruma dedit.
Si meliora tuis optares serta capillis;
  Sidereo cinctus flore capillus eat.
Fastidis diuina puer; iam sidera sordent:
  Iam tibi stellati viluit orbis honor.
Sectaris leuiora: leues iam poscis aristas:
  Iam nemus, & saltus, & caua lustra placent.
Nec genitrix tibi diuitijs illustris auorum

Nec pater eſt titulis, imperioq. tumens:
Et poteras tibi regales adſcire dynaſtas,
Et ſolium ſtellis, aut adamante nitens.
O rerum ſupremus honos, ò gloria Diuum,
Quale tibi puero terra cubile parat!
Pro ſtellis ſtabulum; pro cælo ſufficit antrum;
Pro niueæ lucis tegmine vile ſagum.
Nimirum quia terrarum deſpecta requiris;
Nec iuuat in falſis luxuriare bonis.
Ergo quandoquidem ſectaris vilia, caltham
Accipe; nil caltha vilius edit ager.
Vix è natiuo ſurgit mea gloria culmo,
Et iacet externis abdita fama plagis.
Omnibus inferior ſum floribus. hoc tamen ipſum
Eſſe iuuat: placeo ſi tibi pupe, ſat eſt.
Hæc ſunt Diue, tuæ præconia maxima famæ;
Hoc de te verè publica fama canit:
Erigis abiectos, ſolioq. repellis ab alto
Quos leuat inſtabilis mobilis aura Deæ.
Tantum iuris habes, ſine te nil nobile ſurgit:
Et tecum fas eſt dicere vile nihil.
Tu pretium, nomenq; facis, pulcherrime, rebus
Semina tu veræ nobilitatis habes.
Ite animæ viles, vanoq. tumeſcite faſtu
Infauſtus vobis hic malè faſtus erit.
Sordet honos, titulos qui dij neſcit honoris;
Fama nec humana ſurgit ad aſtra via.
Quisquis amat cælum propiori ſcandere pluma,
Decidat ante tuos, blande puelle, pedes.
Hæc mihi fama ſat eſt: nequeo ſi verticis ingens
Eſſe decus, plantis oſcula caſta feram.

PA-

PARAENESIS

AD DEIPARAM

Vt nato Deo serta componat.

ELEGIA XV.

Alma parens, mea Diua, nouas intexe corollas,
Est tibi nectendis floribus apta manus.
Virgineæ nectunt amaranthis alba puellæ
Lilia, virgineus sunt pia texta labor.
Serta tuus sibi poscit Amor, quæ mollia collo
Implicet, & fusis nectat vtrimq; comis.
Ille quidem cāpi flos est, flos lapsus Olympo,
Vt meliore sacros flore coronet agros.
Flos nitidus nitidos legit ad sua commoda flores;
Hinc violas, illinc cana ligustra petit,
Necte parens vario pictam de flore corollam;
Flora coloratas sponte ministrat opes.
Aspice: submittunt pronum tibi lilia culmum,
Seq; rogant facili pollice, Diua, legas.
Ante tuos rosa picta pedes procumbit, & orat:
Ne roseum spernas candida Diua decus.
Insolito tibi se comunt vaccinia cultu,
Calthaq. pallentes ornat odora comas.
Non amaranthus abest, nō veris pompa, papauer,

Non violæ, rigui cultus amænus agri.
Tu quoq. vernantes renouas, narcisse, decores,
Et tristes aboles, ò hyacinthe, notas.
Flos etiam tibi, Diua, necis sub imagine pictus
Discolor Eoæ venit ab orbe plagæ.
Si sapis, hunc exclude: nouum circumspice florē;
Nescio quid sæuum picta figura refert.
Occule; ne tuus hinc discat sua funera natus,
Neu iam pænarum ferre suprema velit.
Sed tamen hūc admitte: necis monumēta seueræ
Det licet; at vitæ sunt monumenta meæ.
Necte parens bona serta tuo pulcherrima nato;
Ornet vt est dignus floribus ille caput.
Nectis, io, genitrix infanti serta tenello:
Texitur æternis dia corolla comis.
Cerne parēs inter tot germina roscida florum
Flore tuo num quis pulchrior alter eat?
Non illum rosa, non violæ, nō æquat acanthus,
Vnius ante omnes clarius ardet honos.
Floribus è cunctis flos hic componitur vnus.
Camporumq. omnes depopulatur opes.
Lilia candorem, rutilum rosa picta ruborem;
Luteolos præbes o amaranthe crocos.
Cæruleos addis felix, hyacinthe, decores,
Dant minium calthæ, cana ligustra niues:
Flos, hic in vultu radiat, componit ocellos;
Alter, in aurata fulgurat ille gena.
Hic ferit argentum collo, dat crinibus aurum
Ille, nitens addit cruribus alter ebur.
Est qui ridentes effingit in ore cachinnos,
Quiq. sedet medius pectore, quiq. sinus:

Omne

Omne genus florum Flos explicat altus Olympi,
Et noua per terras tempora veris agit.
Sed iam necte tuo sertum, bona mater, Amori;
Ire coronatus floribus optat Amor.
Nectis odorato iam iam diademate nexus;
Pulchrius accenso fulgurat igne genas.
Huc Superũ properate chori, properate volantũ
Agmina, diuini carpite veris opes.
Ipsa licet puero componant astra coronam;
Haud potiora meis floribus astra nitent.
Virginis intactæ tractat quos dextera flores,
Sidereas valeant sponte præire faces.
Aeternum vernate Dei bona serta puelli:
Vobiscum tenero sidere vernat amor.
Sed iam Pieriæ deponite plectra sorores:
Flore coronatam fas tacuisse lyram.

INFANTIS DEI CVNÆ

D. IOSEPHO FABRO.

Parænesis ad D. Iosephum.

ELEGIA XVI.

Ancte Senex age ferratam molire bipennem,
Duraq. fabrili robora finde manu.

Te petit iste labor; viden vt tuus inter aristas
Secubat agresti cespite fultus Amor?
Heu pietas! iacet Aeolijs obnoxius auris:
Nulla Notos arcent vellera, nulla niues.
Me miserum! stipulis etiam vallatur acutis,
Penè vepres lacerant pectora, penè genas.
Ah pereat, tenerum quæcumq. cruentat Amorē
Non obseruata dumea cuspis acu.
Aeternum campis subsidat, inutile germen,
Quæ pungit mollem vilis arista Deum.
Auferat hanc rapidis agitatam flatibus Auster,
Vel cremet accenso spissa fauilla rogo.
Illa mihi, dominoq. meo parit atra dolorem,
Olli molle latus, mi mea corda ferit.
Sancte Senex, age cunarum versatile textum
Construe, seposito dormiat ille toro.
Candidulum scelus est fuso violare puellum
Sanguine. quin prohibes vulnera, caute senex?
Ille tuus puer est, iam te vocitare parentem,
Iam volet ad nutus fingere verba tuos.
Non ne vides vt sponte sua tibi dura ministrent
Robora notiuas officiosa trabes?
Omne tuis iussis seruit nemus, omnis opacam
Submittit passim cædua sylua comam.
Cedrus odorato fortunatissima trunco,
Ad tua de Libani culmine texta venit.
Venit Idumæi collis regina cupressus,
Et semper patulis edita palma comis.
En age quid cessas? validam molire securim,
Dura per insertas robora necte trabes.
Iam totum gestire nemus, iam mille videbis

Fron-

Frondoſam platanos depoſuiſſe comam.
Necte celer. puer hæc tacitis proſpectat ocellis,
Et ſibi deuotum creſcere gaudet opus.
Necte libens, viden vt latè te ſylua coronet
Lignea? non quercus, non leuis alnus abeſt;
Et ſalices adſtant molles, & fiſſilis ornus,
Et liquidas abies currere nata vias.
Adde manus operi, lignis inſiſte ſecandis:
Dura per inſertas robora necte trabes.
Necte trabes trabibus; ramis intercipe ramos;
Adſtringat varium ferrea cuſpis opus,
Siue cupis myrtum, mittunt tibi littora myrtum;
Siue pyrum mauis iungere, iunge pyrum.
Incipe, quid trepidas? manibus ſortire laborem,
Dura per inſertas robora necte trabes.
Populus Eridani ripas ſata propter amænas
Eridani patrias ſponte reliquit aquas.
Arbitra Caſtalij laurus Parnaſsia luci,
Deſeruit lucos Caſtalis vnda tuos.
Omnibus vnus amor; cunis ſeruire Tonantis,
Et tibi ſubiectum ſuppoſuiſſe caput.
Aude age, quid ſegnis dextra cunctante moraris?
Dura per inſertas robora necte trabes.
Audior. ecce manus ferrum molitur acutum,
Et graue lignorum ſedula verſat opus.
Surgite iam tandem dio cunabula textu,
Lecta recens natum ſuſtinuiſſe Deum.
Interea dum Sole micant conuexa diurno,
Perge Senex patulas cædere falce comas.

CE.

CEDRVS.

ELEGIA XVII.

ILla ego felices inter celeberrima syluas
Arbor odoratis conspicienda comis.
Rari fama iugi, Libanitis gloria cedrus;
Nixa solo fibras, æthere nixa caput.
Naturæ melior fætus, cui contigit vni
Funeris expertes ducere posse dies.
Illa ego sum nullis vmquam concussa procellis;
Docta nec annorum succubuisse minis.
Cetera labuntur senio confecta voraci
Ligna; vorat duras vis inimica trabes:
Aut caries illis, aut nix subducit honores,
Aut torpent putri victa repente situ.
Mi natura dedit certas ab origine leges,
Ne possim fati pertimuisse vices.
Troia cadit; cadit in cineres collapsa supremos
Roma, triumphales cernere nata rogos.
Vrbs olim cælo contermina, clara trophæis,
Clara viris, studijs inclyta, Marte ferox
Occumbit: recidunt arces, & culmine lapso
Vix Capitolini verticis vmbra manet.
Non vis, non ratio flammis subduxit Athenas;
Thæbæ cum muris procubuere suis;
Carthago prisci vestigia nulla decoris
Ostentat; Babylon vilis arena iacet.
Cedrus inextincto fouet immortalis honores:

Vna

Vna vices ridet temporis, vna minas.
Cedrus erant postes Solymæ, quibus arbiter olim
Dædalea templi munijt arte fores;
Tigna quibus muros, & celsa palatia fulsit;
Vt possent longum viuere cedrus erant.
Cedrina sunt Regum laquearia, cedrina Diuum,
Cedrus habet mensas, limina cedrus habet.
Ergo, sancte Senex, puero cui cura Tonanti
Cunarum faciles exhibuisse toros:
Ne fuge nos: nostris cunas intexe tigillis;
Haud meliora alius ligna tigillus habet.
Aeternos æterna decent cunabula Diuos,
Aeternus nostri roboris vsus erit.
Dum pisces æquor, dum cælum sidera pascet;
Dum maris vndantes franget arena minas;
Stabit adætherei Regis cunabula cedrus
Iussa peregrinas inseruisse trabes.
Ipsa coruscanti sata sidera lucida cælo
Inuideant, lignis æmula facta meis.
Lunaq. cunarum sinuans sub imagine cornu,
Cornua ad hos vsus subsecuisse volet.
Cuncta volent tibi, sancte Faber, parere vocanti;
Cuncta ministerio subdere colla tuo.
Tu tamen æternam consultus delige cedrum;
Nulla tuis cæptis aptior arbor erit.
Vt subeant aliæ, cedrus tamen edita frontem
Fac habeat, medium quà labor vrget opus.
Quid loquor ah demēs? vt iam libet vtere cedro
Sancte Senex, gremio sat tenuisse Deum.
Quod si fas pueri contingere membra iacentis;
Nostra, reor, cælo gloria maior erit.

LAVRVS.

ELEGIA XVIII.

LAurus eram folijs, & odoro vertice felix,
Inter odoratum fronde virente nemus.
Vertice quà gemino surgit Parnassus, & omnis
Bellerophontea lucus abundat aqua.
Nulli me chalybes, nullæ tetigere secures,
Nec Iouis irata fulmina missa manu.
Vndiq. de nostra quærebant fronde coronam,
Turba coronatis ambitiosa comis.
Siue quis Elææ iactabat præmia palmæ,
Præmia victori Delphica laurus eram.
Siue quis aduersos bello prostrauerat hostes,
Nectebat rigidæ laurea serta comæ.
Siue quis Aonio carmen tenuasset in antro;
Laurus Apollinei gloria vatis eram.
Me fortes petiere Duces, petiere Poëtæ,
Me tumidæ Reges imposuere comæ.
At nunc, sancte Senex, ramis ab stirpe recisis
Subijcio famulas ad tua iussa trabes,
Vnum orans, quando æternas tua dextera cunas
Dicitur infanti sternere velle Deo:
Ne mea prætereas neglecta robora lauro,
Neu mea sit tanto munere fama minor.
Quid mihi cum lucis? quid cũ Parnasside sylua?

Quid

Quid tibi cum folijs Aonis vnda meis?
Si mea diuinis intexam robora cunis,
Et ferar infantem sustinuisse Deum,
Aoniæ rupes, doctæq. valete Sorores;
Cumq. tuis valeas Calliopæa choris.
Arida sim quamuis, quamuis sine frõdibus arbor,
Scissa caput ferro, scissa bipenne latus.
Nulla meam tamen æquabunt felicia famam
Robora, frondosa semper opaca coma.
Nosse Deum quanti? quanti tetigisse Tonantem?
Qui mare qui nutu temperat astra suo?
Sidera si dias valeant componere cunas,
Arbitror, in cælo sidera nulla forent.
Vltrò Aries, vltrò armatus procurrat Orion,
Vltrò destituat lucida signa Leo.
Scorpius Isacias vltrò descendat in oras,
Nec teneat superas Parrhasis vrsa plagas;
Cuncta Dei cunis submittant sidera flammas,
Si valeat cunas fingere flamma Deo.
Arboribus tantum largitur munus Olympus.
Astra sat est medio posse nitere polo.
Fortunata suum quæ circumplectitur arbor
Auctorem, nullo decidet illa die.
Labentur flammæ, labentur sidera cælo;
Corruet excusso mobilis axe polus;
Illa tamen stabit seclis immota futuris;
Cælicolum Regem planta fouere potis.

FICVS.

ELEGIA XIX.

ME quoq. docte Faber, cunis adiunge Tonantis
Non erit ad Domini munera ficus iners.
Ipsa mea primos velaui fronde parentes,
Corpora nudaret cum malè fida pudor;
Iam pater infelix vetito de stipite pomum
Legerat, & læsum crimine Numen erat;
Cum subitò tectum nullo velamine corpus
Aspicit, & nudum vellere molle latus.
Erubuit; iam iamq. nouas excogitat artes,
Iam cupit ad facinus non habuisse manus:
Fle Pater infelix, miseræ fle damna ruinæ:
Vna potest læsum flectere gutta Deum.
Ille nihil, tantum nudos dum respicit artus
Vestigat membris carbasa lenta suis.
Heu quid agat? non lana rudes formatur ad vsus,
Lina nec in laxas vela dedere togas.
Heus vbi tunc Phrygio saturatæ murice vestes?
Aut vbi Sidonio texta labore chlamys?
Omnia perlustrat genitor, notat omnia circum;
Nec quo nuda tegat corpora, vellus adest.
Tandē vbi nil melius mens suggerit ægra labanti,
Ad frondes oculos conijcit ille meas.
Atq. ait; hæ nobis præstent vmbracula frondes,

His

His ego diuitijs iam pretiosus ero,
Dixit, & è nostra sibi fronde petiuit amictum,
Et quamuis tectus, tunc magè nudus erat.
Ah miserande parens, quanto de culmine rerum
Abiectus, miseræ munera sortis amas!
Tùne ille in gremio solitus requiescere florum,
Et caput in verna natus habere rosa?
Nunc tenues abiecta vocas ad munia frondes?
Sed scelus ah nulla condere fronde potes.
Mox aderit læsum lethali crimine Numen,
Et tradet sceleri tegmina digna tuo.
Pellibus hirsutis sontes circumdabit artus,
Quas pecus auulso tergore cæsa dabit.
Ah miser importuna feres insignia lethi,
Qui lethum princeps in tua damna vocas.
Sed iam, sancte Senex, quæ tegmen vile paraui
Prima homini, cunas dem quoq. prima Deo.
Eia age cæde tua solers mea ligna securi;
Et mihi sat ferro fissile robur adest.
Cetera maiores exquirunt robora vires,
Ad mea commodior dextra senilis erit.
Quin puer ille tuus, quãuis genus haurit ab astris,
Nescio quid compar ficubus ore refert.
Illius ex oculis lacrymarum voluitur humor,
Humidus è nostro voluitur orbe liquor.
Melleus est olli sapor, & mellita voluptas;
Et mihi sub tenero cortice mella latent.
Candidus illius color est, & concolor auro;
Et mixtus meus est inter vtrumq. color.
Et lacer est illi sinus, & discissus amictus,
Et mea discissa viscera veste patent.

Parce

Parce Senex, si quid refero puerile: puellus
Est Deus, & puero carmina digna probat.
Certè dum ficus Domini cunabula condet,
Nulla Dei cunis aptior arbor erit.

P A L M A.

E L E G I A X X.

Alma supercilio, rutilo contermina cælo,
Inter Idumæas gloria prima trabes,
Tunc feret æternam nemora inter inertia palmam,
Cum dabit infanti lignea texta Deo.
Alme Faber, deuota tuæ mea robora dextræ
Subijcio, famulam cæde bipenne comam:
Arbitror, hòc vertex meus altius ibit in auras,
Quò grauius ferro vindice cæsus erit.
Cæde caput, succide meum Faber ære cacumen,
Vt palmam patria primus in arte feras.
Miles in armorum quærit certamine palmam;
Ad palmam missus carcere sudat equus.
Luctator rigidæ meditatur bella palæstræ,
Vt palmam domito victor ab hoste ferat.
Nauita cæruleo vestigat in æquore palmam,
Cum celeres cursum corripuere rates.
Quid ferus Alcides? quid dirus poscit Achilles?
Quid cum pugnaci Polydamante Paris?
Omnibus inuictæ quæruntur prælia palmæ,
Felix

Felix cui facili Numine palma venit.
Palma venit tibi, sancte Senex, molire securim;
Et tuus est palmam dignus habere labor.
Quid tuus ille Puer, lætæ num munera palmæ
Despicit? & famæ nobilis osor erit?
Atqui cum Solymas intrabit victor in vrbes,
Vt domitam mittat sub sua iura necem,
Ibit ouans, Stygioq. petens ab Rege triumphum,
In manibus palmam fronde virente feret.
Circum turba frequens, pueri, castæq. puellæ,
Victor io, magna voce triumphe, canent.
Et pedibus subdent vestes, palmamq. tenentes
Ter repetent claro murmure, victor io,
Quid, quòd sidereas nulli fas tangere sedes,
Ni sibi de nostro palmite serta legat?
Ergò, sancte Senex, quando tibi palma paratur
Sponte, tuum nostro robore surgat opus.
Dextera nulla parem tibi stat sortita laborem
Nec tibi se quisquam conferat arte faber.
Dædalus artifices doctus variare figuras,
Et labyrinthæos implicuisse dolos,
Si tecum certet, se iudice victus abibit,
Nec poterit cunas æquiparare tuas.
Nulli nempe datum diuinum texere textum,
Et lignis puerum demeruisse Deum.
Ah quoties dum fingis opus dulcissime rerum;
Robora dum versas officiosa manu,
Plaudit Amor tuus ille operi, nutuq. magistro
Quæ fugienda bonus, quæue sequenda docet!
Ah quoties dum tu duro sub fasce laboras,
Triste laborantem subleuat ille manu.

Aut

Aut fessas reficit vires, aut robora nectit;
 Non obseruata callidus arte faber.
Cresce Puer, qui nunc cunas moliris inertes,
 Mox etiam disces composuisse cruces.
Hei mihi quid mentem funestum perculit omen?
 In nemorum rursus lustra redite trabes.
Quæ pheretrum Domino nimium ferale feretis,
 Quæ dabitis lacero tristia fulcra Deo.
Quid tibi, sancte Puer, rigidi cum robore trunci?
 Heu fuge crudelis symbola dura necis.
Sat tibi sit læta cunas intexere palma
 Cetera stent altis abdita ligna iugis.
Interea syluas arescant ligna per omnes,
 Nequa crucem Domino reddere ligna queat.

O L I V A.

E L E G I A XXI.

Ite, sancte Senex, diuini gloria textus
 Tangit, & æterni fama laboris habet:
Robora ne spernas tardè crescẽtis oliuæ
 Vna Deo dignum robur oliua dabit.
Non ego mendaces ausim proferre patronos,
 Nec mihi fallaci quærere laude decus.
Per me Cecropiæ quamuis sileantur Athenæ,
 Primaq. Palladia munera parta manu,
Nõ tamen omne leues nostrũ decus ibit in auras,
 Nec deerit titulis area lata meis.

Dona

Dona meæ ſortis nullis non cognita terris,
Proh quantum ſacri muneris inſtar habent!
Vndiq. viuacis ſoboles pubeſcit oliuæ,
Solaq. perpetuæ ſymbola pacis amat.
Vna ſagittiferas ſimulata cuſpide frondes
Vrget; an vt volucrem figat acuta diem?
Quippe mori ſegnis multos intacta per annos,
Penè immortalem nutrit oliua comam.
Quā nox cæca foret, tenebras niſi pellere noctis
Fas oleo flammam conciliante foret!
Sole diem, noctem pingui luſtramus oliuo;
Cum Sole imperium lucis oliua ſecat.
Vt ſibi prima petat lucis præconia Phœbus:
Debetur titulis altera palma meis.
Et tamen eſt aliquid, quo ſe mea gloria tollit
Altius, & nubes imperioſa ſubit.
Teſtor oliuiferi felicia culmina montis,
Culmina termitibus facta ſuperba meis.
Illic ah quoties puer hic vbi venerit ætas
Firmior, & vires prima iuuenta dabit,
Perpetuas volet orando traducere noctes,
Scilicet & nocti iungere ſæpe dies!
Ah quoties tereti corpus ſubnixus oliuæ,
Figet ad æthereas lumina dia plagas!
Ah quoties molles lacrymis perfuſus ocellos,
Robora flebilibus nôſtra rigabit aquis!
Sæpe preces, imò ſuſpiria ſæpe refundet
Pectore, ſæpe pias tollet ad aſtra manus.
Interea quæ planta ſacros bibet humida rores,
Quam citò frondoſa ſurget ad aſtra coma!
Quam pretioſa dabit fæcundus munera truncus,

Qui

Qui riguo potuit fonte madere Dei!
Ah ego quid memoro? roseo quoq. sãguine terrã
Tinget, & expresso molle cruore solum.
Hinc & sanguineos suget mea bacca colores,
Hinc & purpureas ducet oliua notas.
Ah tunc, sancte Senex, quantos puer iste labores
Perferet, vt gemitus molliter ore dabit!
Testes Getsemani colles, & oliuifer hortus,
Testis adhuc roseo sanguine tinctus ager.
Sed quid ad extremæ spectacula deferor horæ?
Nunc age da puero lignea texta Deo.

MYRTVS.

ELEGIA XXII.

SVper arenoso de littore cæsa Mineruæ,
Quà fæcunda suos Lubra colorat agros;
Per freta, per scopulos per amantes cõfraga syrtes,
Perq. procellosi mille pericla sali,
Ad diuina feror properè cunabula myrtus,
Apta licet sertis sim magis, apta iocis.
Turba frequens nostro nectit de flore coronam,
Et iuuat hoc fusas implicuisse comas.
Exiguum nostro surgit de cespite robur,
Nec videor plantæ nomen habere frutex,
Sed tamen huc propero pueri studiosa Tonantis,
Ausa peregrino sponte virere solo.

Quam.

Quantu'acumq. meo de robore robora surgunt,
Ad Domini cunas officiosa fero.
Debuit officium tenero præstare Puello
Myrtus amatori debita planta Deo.
Quisquis amat, viridi nectit sua tempora myrto,
Nam specimen casti myrtus amoris habet.
Ah puer ah quales nutrit sub corde fauillas!
Quantus in exiguo pectore regnat Amor!
Totus Amor puer est, incendia totus Amoris;
Non coma, non oculi, non cor Amore vacat.
Arbitror arcanæ flammam traxere medullæ;
Ipsaq. flagrantes ossa bibere faces.
Siue gemit; gemitus puri spirantur Amoris:
Seu ridet, risus ipse ministrat Amor.
Seu lacrymatur; Amor lacrymarũ deliquat imbres,
Seu vagit, tenero murmure vagit Amor.
Quin etiam glacies, & acuti frigoris iras,
Et quidquid puero sæua minatur hyems;
Iussit Amor tolerare: niues Amor ipse rigentes
Asperat, & gelida frigora durat aqua.
Ah puer ah nimium calidis ignosce medullis,
Non pote tot flammas sustinuisse iecur.
Post lacrymas, post accensi suspiria cordis,
Sanguinis educet flumina sæuus Amor.
Interea dum flamma tui lactescit Amoris,
Fida comes casti myrtus Amoris ero.
Myrto cinge comas, viridi tege tempora myrto;
Sola tegat myrtus limina, sola fores.
Tuq. prior pueri cunabula construe myrto
Alme Faber; myrtus nobile texat opus.
Hoc puer ipse iubet, somnos dormitat Amoris,

Cum sua dat somno lumina dius Amor.
Seu vigilat, tristes exercent pectora curæ,
Seu dormit, numquam dormit inermis Amor,
Tunc mage crudeles vibrat Puer ille sagittas,
Somnus iners carpit lumina, corda dolor.
Ergo ne myrto careat sopitus amator,
Inter cunarum robora myrtus eat.

CVPRESSVS.

ELEGIA XXIII.

Forsitan audito feralis nomine plantæ
Sancte Senex, trepido pallidus ore times?
Iamq; neges operi sociā miscere cupressū,
Cui nimis infausti nominis omen obest.
Seruiat hæc, inquis, pheretris feralibus arbor,
Arbor inhumanæ, sæua ministra necis.
Quid mihi cum ferrugineæ squalore cupressi?
Quid tibi cum cunis rustica planta meis?
I procul, i flammis damnata rapacibus arbor,
Victima funestis diripienda rogis.
Mi lætæ placeant myrtus, mi Delphica laurus
Præbeat æternas ad mea vota trabes.
Hæc adeò cum corde tuo fortasse voluras
Sancte Senex, nec te robora nostra mouent.
Parce sed innocuā sceleris damnare cupressum.
Nullius, in crimen, conscia fraudis, agor.
Non ego sponte mea pheretris pallētibus addor,
Nec

Nec docuit mores me Libitina feros.
Odi funesti spectacula pulla laboris,
Odi Lethææ funera sæua necis.
Ad tumulos inuita trahor. clarissima testor
Lumina, quæ media candida nocte micant.
Me tenet æternum vitæ generosa cupido,
Et piget ingratæ ferre tributa neci.
Lucis amo radios, non cæci busta sepulchri,
Plus mihi fax vitæ, quam necis vmbra placet.
Ergò quandoquidem vitæ bonus auctor in auras
Prodijt, extincta qui nece victor erit:
Affere me puer, vitalibus, affere cunis.
Iungantur trabibus fac tua texta meis.
Ipsa licet diræ tulerim mala symbola mortis,
Symbola vitäi iam meliora feram.
Quippe tuus Puer ille necis destructor amaræ,
In me lethalem destruet ante luem.
Illius ad nutum quidquid lethale per orbem
Pullulat, ad vitæ semina prima redit.
Scimus vt infernis olim deducet ab vmbris
Corpora supremam quæ subiere diem.
Tunc leges mirata suas natura resolui,
Recludet trepida marmora clausa manu.
Ibunt obscuris passim simulacra sepulcris
Reddita vitali lumine iussa frui:
Ibunt, & cælo latè potientur aperto,
Fæta sacro pectus Numine, fæta Deo.
Hoc duce nil terris fas est mortale morari,
Vita decet plantas; marmora vita decet.
Auctor adest vitæ, viuat mare, sidera viuant;
Omnia vitali sint animata face.

Ipsaq. si fas est mors viuere mortua discat;
Aut magè dediscat reddita vita mori.
Vota Faber mea te moueant; da robore nostro
Aeternum puero stent monumenta Deo.

POPVLVS.

ELEGIA XXIV.

POpulus Eridani ripas sata propter amœnas,
Garrula quà liquidis labitur vnda vadis:
Vagitu, longæue Senex, accita Tonantis,
Populeas affert ad noua texta trabes:
Orphea frondosas quondam traxisse Cupressus,
Non est in turpes fabula ficta sales.
Fabula sit sanè; potior tuus iste Puellus
Ducere vagitu robora dura potest.
Vagitu potis ille tigres lenire frementes;
Vagitu syluas, & trahit ille nemus.
Ah ego quam celeri liqui mea flumina gressu,
Luminibus natum cernere iussa Deum.
Olim, ceu perhibent telo Phaëthonta trisulco
Afflatum, miseris sum comitata modis.
Fleuimus extinctum dudum pia turba sorores,
Germani tristes commiserata vices;
Fleuimus, & pigro constricti frigore fletus
Gemmarum teretes exhibuere globos.
Hinc electra sibi sociæ legere Napææ,
Ne-

Nectentes rutilis munera nostra comis.
Sancte Senex, quam ficta canunt mendacia vates!
Qualia mentita somnia voce ferunt!
Populeæ numquam norunt Phaëthonta sorores,
Ille licet Phœbo patre superbus eat.
En potior Phaëthon diuini Solis imago,
Hic ipso genitus Sole parente Deo.
Adsumus huic omnes deuoto robore plantæ
Populeæ, iussæ tradere sortis opes.
Nil opus hic fletu, cæsum deflebimus olim;
Cum cadet immitis victima dira necis.
Nunc quandò cubat agresti malè fultus in antro
Abiectus rigidis ludicra præda Notis.
Tradimus in sacras felicia robora cunas,
Robora mortali debita ligna Deo.
Ah qualis quantusq. iacet pulcherrimus infans!
Vt blando vagit paruulus ore puer!
Nuper vt ad nostras vagitus detulit aures
Aeternum terris applicuisse Deum;
Exilui subito fluuialibus excita ripis,
Et celeres nota molior arte pedes.
Dum propero, circum latè gestire videbam,
Quà mare, quà fontes, quà freta fusa vadis:
Vndiq. pubescunt maturis frugibus agri,
Vndiq. gemmantes explicat herba comas.
Hinc violæ molles, hinc picta papauera surgũt,
Hinc teneræ frondes explicuere rosæ.
Quin etiam pronæ submisso vertice syluæ
Mittebant famulas ad sacra texta trabes.
His immixta rudi succedo populus antro;
Et fruor aspectu, die puelle, tuo.

Sancte senex, quodcũq. mihi decus astra dederũt,
Accipe, frondosam cæde bipenne comam.

ABIES.

ELEGIA XXV.

IAm dudum iactata mari, iactata procellis,
Hic abies portus ad mea damna peto.
Nascor inæquales tumidi visura tumultus
Aequoris, & toto sparsa pericla salo.
Ligna fero remis aptissima, ligna carinis,
Ligna repellendis fluctibus apta fero.
Hinc validæ nostro surgunt de robore proræ;
Clade mea tutus nauita marmor arat.
Nota mihi Lybiæ sunt littora, nota Maleæ;
Nota procellosis abdita saxa fretis.
Fregerunt nostras infida Capharea puppes,
Fregerunt puppes cum Menelaë, tuas
Neptunus quoties classes sub gurgite mergit,
Abiegnas toties gurgite mergit opes.
In me dura suis sunt Acroceraunia saxis,
In me cærulea spumat Abydos aqua.
Aequora Cimmerijs semper turbata procellis,
In me turbatis intumuere vadis.
Nec parcit mihi Scylla minax, nec vasta Carybdis,
Hellespontiaco non freta sparsa salo.
Trador Hyperboreis ludicrum flebile ventis,
Lu.

Ludicrum tumidis flebile tradere aquis.
Quid iuuat in sylvis procero stipite nasci,
Si me de sylvis barbara dextra rapit?
Crudelis quæ dextra meos succidit honores;
Quæ pubescentem distrahit ære comam,
Illa mihi geminam molitur dextera mortem
Quaq. cremer flammis, quaq. lacessor aquis.
Anne parum fuerat, rapidis dare pabula flammis,
Pabula ni cæcis fluctibus apta darem?
In me coniurant gemini crudeliter hostes,
Neptunus lymphis, Mulciber igne furit.
Sancte Senex, pelagi tot tempestatibus actam
Accipe me, tutus tu mihi portus eris. (tes
Hactenus æquoreas tulerim male naufraga syr-
Hic mihi fas trepidos sit posuisse metus.
Accipiant diuina meum cunabula robur,
Hoc immortalis muneris instar erit.
Infelix quicumq. leui rate cærula verrit,
Vt Tyria tandem merce superbus eat.
Heu quid opes, quid sceptra iuuant? cinis omnia
Occupat, & sæui funeris atra dies. (nudus
Omne tulit punctum, qui te, pulcherrime rerũ,
Complexum gremio liberiore fouet.
Parue Puer quam vile tibi mea ligna tributum!
Quam non digna tuo Numine dona ferunt!
Hæc tamen hæc etiam vultu generosus amico
Accipis, & tenuis munera sortis amas.
Et quamuis diæ vallatus lucis amictu
In patris semper contineare sinu.
Hic tamen in lacero proiectus stramine gaudes;
Inter cunarum ludere strata puer.

 O amor,

O amor, ò pietas! ſtupeat mirata vetuſtas;
En Deus abiegnum vix bene replet opus.

EBENVM.

ELEGIA XXVI.

INdia terrarũ pars vltima, non tibi debet
Vltima de patrijs munera miſſa plagis.
Forſitan inuitis etiam ſpectabis ocellis
Pupe, peregrino munera vecta ſolo.
Alme Puer, patrij felix candoris origo
Cana reor poſcis munera, cana probas:
Et meritò, quoniam mores reparare pudicos
Diceris, & purum reſtituiſſe decus.
Sed tamen hæc alij referent; vna India nigrum
Fert ebenum, nigras ſufficit vna trabes.
Vnde precor noſtris candor fulgeſcat in oris,
Quæ procul ex oculis delituere tuis?
Sancte Puer, tibi candor ineſt, tibi vena liguſtris
Concolor, & ſuperas reddere nata niues.
Qui candet candore tuo candeſcit, & albas
A te quas rapuit ſpargit in ore faces.
India ſemotum procul amandata ſub axem
Tartareo nigram traxit ab amne picem.
Tartarus Eoas bacchatur victor in oras,
Et Phlegethontæo polluit ora luto.
Illius eſt quodcumq. vides inamabile, fædum,
Illius eſt fuſcus qui mihi pallor ineſt.

Proh

Proh scelus! & scelus hoc oculis puer aspicis
 In tua prædator barbarus arua furit. (æquis?
India tota tua est, te Rege superbit Eous.
 Non sua quid Stygius regna Tyrannus habet?
Exige Memnonijs è finibus, exige Manes,
 Nostraq. Tænario subtrahe colla iugo.
Cerne meum nigra tinctum ferrugine vultum;
 Has habet in vultu gens Nabathæa notas.
Siccine tot populos Erebi ditione teneri?
 Seruitio gentes tot patiere premi?
Terge meas candore tuo, nitidissime, sordes,
 Sordesco niueri vindicis ante pedes.
Si te nulla mouet tanti palloris imago,
 Corpora nec tanta sordida labe putas.
Mox tibi tergeminos mittet Matuta Dynastas;
 Vt noris quantus regnet in ore nigror.
Quãquã illi tua mox proprius cũ lumina cernẽt,
 Penè tuas discent ore referre niues.
India tunc sese mirabitur, & sibi dicet
 Hos benè tam longas consuluisse vias.
Iam tua fax illic primas emittere flammas
 Incipit, & niueam restituisse diem.
Iam cælo signante viam Nabathæa propago,
 Ad tua monstratum lustra capessit iter.
Victor io, victor Stygias euasimus vmbras,
 Prima coruscantis flamma nitoris adest.
Mox & Saberius seros penetrabit Eoos;
 Ille Pyrenæi gloria rara iugi.
Ille procul toto tenebras Oriente fugabit,
 Et nitidum nigra pro pice reddet ebur.
Tunc mea tunc puro certabunt littora cælo,

Nec potior Gangis flumine Tybris erit,
Pallidus infernas Pluton remeabit ad vndas,
Nexaq. vipereas angue Megæra comas.
Alma Fides, & flore genas Agnœa pudico
Sparsa, per Auroræ littora iura dabunt,
Tunc tibi felices tellus Gangetica merces,
Et patrias lætus deferet Indus opes.
Hæc olim: nunc, sancte senex cape munera nostri
Roboris, & cunas construe, Diue, Deo.

QVERCVS.

ELEGIA XXVII.

Ana dedi, fateor, priscis ludibria seclis,
Quercus Apollineis concelebrata modis.
Sacra Ioui magno, priscos aluisse parẽtes
Dicor, & humanam glande fugasse famem.
Roborea sub fronde genus mortale trahebat
Otia, de duro robore nata cohors.
Ipsæ quin etiam virides oracula quercus,
Fataq. vocali præcinuere sono;
Et sudasse meo passim de cortice narrant
Indelibato nectare mellis opes.
Quid me ficta iuuant mendacia? cedite vatum,
Carmina; mentitis fabula cede iocis:
Non ego sacra Ioui, vero sed sacra Tonanti
Illius ad cunas robora sacra fero.
Non veteres alui Patres, sed alumna beati

Ver-

Verticis, æterni Numinis ore fruor.
Non hominum genus è duris est quercubus ortũ,
Ipsa sed est quercus nata parente Deo.
Numquam mella meis stillarunt dulcia ramis,
Ni modò, cum succos, Pupe, bibere tuos.
Mellea nunc verè sunt robora, dum tua sugunt,
Quæ tibi de puro gutture mella fluunt.
Nunc equidẽ rerum te Principe, cõsita quercus
Ludicra Saturni secula vera facit.
Prisca abeant, maiora Puer, te Rege tenemus
Commoda, quæ seclis inualuere tuis.
Iã nec oues petit ore lupus, nec dentibus agnãs
Nec furit in tenerum torua leæna gregem.
Noxia non miseros fallunt aconita legentes,
Nec mala mendaci vipera felle tumet.
Omnia diuinæ nectuntur fædere pacis.
Pace vigent vrbes, oppida pace vigent.
Pax animos, pax corda regit, nec prælia miles
Impia, nec sæuus cogitat arma furor.
Ipsi pastores, ipsi per prata bubulci
Securi somnos nocte silente petunt.
Ridet humus, rident alienis mensibus agri,
Lætaq. purpurea germinat herba coma.
Vomere deposito festiuus cantat arator,
Tincta nec Assyrio murice lana rubet.
Te nascente Puer, pullos permutat amictus
Distinctum minio versicolore pecus.
Quin & odorato torrens despumat oliuo,
Melleus & toto labitur orbe liquor.
Salue, Diue, nouus rerum cui nascitur ordo,
Aurea cui læto sidere secla fluunt.

Felices, quibus in terris te Principe nasci
Contigit, & puerum cernere posse Deum.
Illis æternos cælum præscribit honores,
Et fæcunda suas terra ministrat opes.
At mihi contingat, nato cunabula Soli
Condere, sat fatis fama sit ista meis.

S A L I X.

ELEGIA XXVIII.

RRiguos propter latices, & gurgitis vndas
Mollis in herboso margine nata salix,
Ad Bethlæa feror magalia, quò tua, dulcis
Intexam facili robore texta, Puer.
Alme Puer non stagna mihi, non flumina deerũt,
Dum tibi de roseis effluet vnda genis.
Vnda leui sensim lacrymarum ducta susurro,
Mobilis, & Puro concolor vnda vitro.
Lacrymulæ, bone pupe, tuæ quo rore liquescunt!
Aut quo dilapsæ molliter imbre fluunt!
Non sic immissos potant violaria riuos,
Arida cum nullo rore madescit humus.
Non sic æstiuos exugunt arua liquores
Sirius ardenti cum face torret agros.
Vt lacrymas, bone Pupe, tuas bibit arida tellus;
Tellus ah nimia semper hiulca siti.
Pupule mi, tuus hic lacrymarum lubricus humor
Aethe-

Aetherei quantum nectaris instar habet!
Hinc sibi mella, reor, cogit modò lapsa per auras
Plurima cælestis filia veris apis.
Ambrosiæ petit hinc succos sibi dia voluptas,
Vt liquet in puros dulcia liba fauos.
Quidquid dulce fluens mortales irrigat agros
Dulcescit lacrymis, Pupule blande, tuis.
Pupe tener, tuus hic argenteus imber, Amoris
Auguror arcanas nutrit in amne faces.
Agnosco: nempe vna tui bona lacryma roris
Mille animos, mille exurere corda potis.
Testes innuptæq. simul, nuptæq. puellæ,
Queis venit à dia maximus ignis aqua.
Quis queat aspersum lacrymis spectare Tonantē,
Et non prærapidas corripuisse faces?
Omne hominū genus in flāmas ardescet Amoris,
Si norit quantus collacrymetur Amor.
Pupule mi, tuus hic fletus vel sidera cogat
Flere, ciet sensim pectora, corda ciet.
Quis lacrymas spectare tuas, quis flumina possit,
Et non irriguo rore madere genas?
O liquidæ guttæ lacrymarum, gemmeus imber,
Qui pretium gemmis, & decus omne rapis.
Nulla nitet toto Neptunia bacca profundo
Quæ modò non guttas sordeat ante tuas.
O nitidæ stillæ, stellarum dulcis imago,
Quas cæli facies nobilioris habet;
Vester honos pueri fulgescit in ore Tonantis,
Quo nullum spectant clarius astra decus.
Lacrymulæ dulces æterno nectare potæ,
Vn..e suum potat turba superna merum;

Lacry-

Lacrymulæ molles diuinis ignibus vstæ,
Vnde suum soluant frigida corda gelu;
Lacrymulæ blandæ nullo quæ murmure fusæ
Auditos tacita redditis aure sonos,
Addictam vestræ salicem permittite ripæ,
Infanti cunas exhibuisse Deo.

MYRRHA.

ELEGIA XXIX.

MYrrha Palæstinas inter nō vltima plantas
Mentito vatum carmine facta nocens,
Deferor huc, lacrymis, & amaro sordida fletu,
Eluat vt sordes flebilis vnda meas.
Ah pereat, nostrum fæda qui labe pudorem
Inficit, & plantas non finit esse pias.
Mène patris quōdā thalamos temerasse pudicos?
Nec sceleris tantum pertimuisse nefas?
Parcite plantarum vates illudere famæ.
Anne parum ficta lædere fraude viros?
Myrrha nec humanos vnquam vestiuit amictus,
Nec nouit patrios illecebrosa toros.
Vixi planta sacris iamdudum cognita lucis;
Inferior quamuis virgine, casta tamen.
Sancte Puer, puri vindex generose pudoris,
Ah precor, ah famæ consule, Diue, meæ:
Elue, namq; potes, nostræ contagia labis,

Nostra

Nostra tuo labes victa pudore cadat.
Quæ cunis addicta tuis deseruiet arbor,
Non poterit turpes extimuisse notas.
Testor virgineæ decus immortale Parentis,
Quæ modo te salua virginitate parit.
Nasceris assertor casti, formose, pudoris,
Quo nascente potest integer esse pudor.
Præstabis plantæ, præstas quod, pupe, Parenti
Condet odoratos si tibi myrrha toros.
Heu Puer, heu myrrham tristes exquiris ad vsus,
Olim cum lethi victima sæua cades.
Tunc vellem ne depositum ferale iaceres,
Perfusus nostro triste cruore latus.
Tene Dei sobolem crudeli cæde peremptam
Exiguo clausam marmoris orbe tegi? (nes
Heu dolor, heu pietas! lacrymas tūc myrrha peré-
Fundet, ad exequias illacrymata tuas.
Quantus io nostro refluet de cortice fletus!
Dona deo quamuis debita, dura tamen.
Tempore quamquā illo lacrymas nō sola liquabit
Myrrha, vides? Dominū flent elementa suum;
Illum amnes, fluuijque, illum deflebit Idumes
Collis, & attonitis tristis oliua comis.
Pamiser illum etiam gemitu superante Taborus
Flebit, & irriguo fertilis amne Sanir.
Culmina disruptis noua per diuortia cliuis
Dissilient patrijs nota repente iugis.
Iam mare, iam littus fremitu, iam flebilis Echo
Assonat. horrendum iam caua lustra fremunt.
Flebile nescio quid Siloës immugit ab imo
Gurgite, nec querulos supprimit aura modos,

Terra labat, motuq. salit concussa profundo.
  Phœbus & atratos pallidus abdit equos.
Tale parentabit Domino natura perempto?
  Auctorem flebunt sic elementa suum?
Sed tu desine, myrrha, necis præsagia duræ
  Edere, quid tetri carminis omen habes?
Ligna Dei cunis nunc subijce, tempora lethi
  Parce precor querulis anticipare modis.

CVNARVM STRVCTVRA.


ELEGIA XXX.

Iam dudum attonito similis sub rupe iacentem
  Longæuus puerum viderat ore Senex
Iamq. magis magis Arctoum concrescere frigus
  Ceperat, & duras conglaciare niues,
Cum subijt mentem facili cunabula textu
  Condere, mortali non operosa Deo.
Heu quid agat? non ligna sacros collegit ad vsus,
  Nec sua fabrilis possidet arma manus.
Ambiguo dubias voluit sub pectore curas,
  Et mens in curas scinditur ægra suas.
Cum subitò lapsam cæli per inane securim

Conſpicit, & motas ad ſua vota trabes.
Arripit oblatum cæleſti munere ferrum
Protinus, & dium ſedulus vrget opus.
Cum læua iam dextra ſuum ſortita laborem
Alternant animo conciliante vices.
Robora roboribus nectit, ramalia ramis,
Hic abies, illic ardua palma ſubit.
Miſcetur cedrus, robur miſcetur oliuæ;
Cum quercu iuncto robore myrrha coit.
Ima tenet ficus, feralis ſumma cupreſſus;
Læua iacet myrtus, dextera laurus adeſt.
Populus extremi componit marginis oram,
Aſt ebenum geminum munit vtrinq. latus.
Lenta ſalix curuo ſupponit fulcra labori,
Voluatur facili quò labor vſq. manu.
Fibula iuncturas morſu conſtringit adunco,
Lignaq. traiecto ſuſtinet ære chalybs.
Ferreus in duros vibratur malleus ictus,
Et dentata ſuum ſerra perurget opus.
Adſtant aligeri circum plaudentibus alis,
Turba miniſterio non aliena pio.
Hi ligna expediunt alacres, hi cote ſecurim
Exacuunt, humeris pars graue vectat onus.
Pars tenues aptat clauos; pars incutit aptos
Altius; incuſſos pars iubet ire pares.
Tigna dolant alij: validam quatit ille bipennem;
Hi trabibus gaudent inſeruiſſe trabes.
Omnibus vnus amor tenero ſeruire Puello,
Atq. operi faciles exhibuiſſe manus,
Interea Puer ipſe ſuam conſurgere molem
Geſtit, & intextum lumine luſtrat opus.

Iam

Iam capit ante locum, iam se metitur in illo,
 Iam cupit in querno secubuisse toro.
Sæpe Senis vires arcano robore firmat.
 Impellit tacito Numine saepe manum.
Ipse docet quae ligna prius, quæ summa reponat,
 Quae quibus anteferat dædalus arte faber.
Et iam perfecto noua per molimina textu,
 Constiterat sacrae mobile molis opus.
Hoc tener implet Amor. fessæ gaudete Camænæ,
 Iam libet argutam deposuisse lyram.



ELEGIARVM
LIBER IV.
AD MAGDALENAM
Impuro amore perditam.
ELEGIA I.

QVid iuuat ornato procedere crine per vrbem
Magdala? quid faciles disposuisse comas?
Aut quid Erythraeis digitos ornare lapillis,
Et gemma nitidos implicuisse sinus?
Quid minio fucare genas? quid veste superbam
Ire? quid Assyrio rore madere caput?
Infelix opibus tantis quid praeter honoris
Funus, & heu famae flebile vulnus emis?
Non pretiosa tuis graderis, sed faeda lapillis,
Si pretium tecum criminis ipsa vehis.
Venari plausus iuuenum, vulgare pudorem;
Hoc erit ingenuae nobilitatis opus?
Vendere blanditias, conceptis fallere verbis,
Egregium sanè fraus habet ista decus.
Post humeros Procerũ deducere vulgus amantũ,
Ista

Iſta triumphati pompa pudoris erit?
Circumferre oculos, collumq. rotare decorum;
Hoc eſt fortunae conſtituiſſe rotam?
Magdala quam vanos nutris ſub pectore ſenſus?
Ignoſco. caeco ſub duce, caeca ruis.
Quid florem tenerae iactas laſciua iuuentae?
Iſta iuuentutis gloria prona fugit.
Quid vultum demens cryſtallo iudice fingis?
Iam tua cryſtallo iudice forma labat.
Crede vitro, vitreus decor eſt tibi. ſuſpice cælũ:
Has tuus ad flammas fac reparetur honor.
Pone modum furijs, & iniquis improba curis,
Ah nimis in curas deſidioſa tuas.
Non pudet arguto traducier indice paſsim;
Et ſceleris tota dicier vrbe ream?
Fabula iam Solyma de te narratur in omni,
Deq. tuo multus crimine rumor abit.
Saepe puer cyprius blanda te voce laceſſit,
Saepe Cypris placido murmure dicit, ama:
Magdala ne Cypriae; Cyprio neu crede puello,
Vana puer fingit gaudia, vana Venus.
Mentitur cum prole parens, non degener alter
Alterius. fallit Cypria, fallit amor.
Nulla venenato venit ſine felle voluptas,
Miſcuit in fida quam Cytheraea manu.
Tu tamen huic malè cauta tuos comittis amores?
Hanc colis ingenita mobilitate ducem?
At non ſic olim Bethulias heroina
Aurata mulier conſpicienda coma,
Indulſit genio; vitae ſed prodiga, nulli
Suſtinuit famae ſuccubuiſſe notae.

Vide:

Viderat haec patriam duro sub Marte labantem,
Et bello fractos iam cecidisse duces,
Quid faciat? nihil illa necis mala damna pauescit,
Damna pudicitiae sed grauiora timet.
Ergò ne titulum perdat captiua pudoris,
Neu patriae tristes ploret multa vices,
Implorat caelum. caelo duce fortis Amazon
Audet in armatum cominus ire ducem.
Protinus auratos disponit in ordine crines,
Insidiasq. coma sub fluitante locat.
Fusa capillorum pars est, pars indita vinclis,
Inditus vt vinclis barbarus hostis eat.
Fucatur minio facies, fucantur ocelli,
In fuco valeat quò latuisse dolus,
Palma coronatae decus est, & gloria frontis,
Omine victricis ne sine frondis eat.
Candida gemmatà decorantur colla catenâ,
Vinciat vt captum dura catena ducem.
Ipse Pater Superum formae mortalis honores
Auget, vt aeternus ritè triumphet honor.
Candidior niuibus circundat corpus amictus,
Non tamen hic pacis faedera candor habet.
Bella tibi, Gradiue, canit; tibi bella minatur
Ductor Orontaei, saeue Tyranne, gregis.
Ipsis quin etiam pedibus sandalia nectit;
Vt norint ipsi vulnera ferre pedes.
Stat manus Eois nimiùm pretiosa lapillis
Hostilis pretium mox habitura necis.
Hoc mulier cultu caelo decorata magistro,
Protinus Assyrium conuolat ante Ducem;
Miratur ferus ille genas, miratur honores

Ver-

Verticis, & sparsas pulchra per ora faces;
Vna tamen placuere magis sandalia tauo,
Haec misero miris cor rapuere modis.
Iam fractae cecidere minae, cecidere furores
Pectoris & laeto risus in ore nat..t..
Indulget genioq. tumens, dapibusq. supremis
Nescius exitium iam properare suum.
Iamq. mero, somnoq. grauis discumbit in ostro,
Et gemina saturum ponit in aure caput.
At mulier Superis in publica vota vocatis,
Armatam nudo sustulit ense manum.
Cæditur impura caput à ceruice resectum,
Et multo calidus voluitur amne cruor.
Sic mulier pudibunda sibi, patriaeq. salutem
Attulit, & Martis perdidit arma Venus.

AD EANDEM

Adhuc impuram.

ELEGIA II.

Ana est ista tuae fiducia Magdala formæ,
Qui teris Isacias ambitiosa vias.
Forma, bonum quo non aliud velocius vllum
Labitur, & nullo stat fugitiua loco.
Forma malum, quo non aliud crudelius vsquam,
Viuit, & aeternum corda perire iubet.

Tu

Tu licet irradies auro, multoq. nitescas
Murice, vel tota facta superba Tyro,
Non poteris formæ celeres cohibere volatus,
Nec lapsum vultus restituisse decus.
Illa fugax iam iam volucri corrumpitur æuo,
Iam ciet instabiles irrequieta pedes.
Nulla dies abit, è pulchro quin corpore prædam
Auferat, & rapidas præferat ante rotas.
Tyndaris Argolicis nimium celebrata poëtis
Inter tot Graiàs vnica forma nurus,
Non potuit vultus florem reparare cadentem,
Nec capitis canas dissoluisse niues.
Ah quoties dextra vitreum dum sustinet orbem
Ingemit! & fulgor quo meus, inquit, abit?
Heus vbi nũc Helene? pulchræ quo forma Lacænæ
Cessit, & exitio nata figura meo?
Hæne genæ quas pallor habet, quas luridus hor-(ror
Occupat, & rugis pigra senecta notat,
Hæ Phrygios strauere duces, strauere Pelasgos?
Hæ bello socias implicuere manus?
Hinc oculi fouere faces, quibus Ilion arsit?
Et quibus in cineres Troia sepulta iacet?
Qui nunc obscura tecti caliginis vmbra
In tenebris ignes deposuere suos.
Hæc coma quæ canis horret resoluta capillis,
Argiuos potuit tot religare procos?
Me miserã! quò frontis ebur? quò purpura vultus!
Pectoris intactæ quò cecidere niues?
Non equidem frustra genitor meus induit alas,
Alatos habuit dum mea forma pedes.
Læda parens, mihi pluma tui concessit oloris,

Vt

Vt caperet volucrem nostra iuuenta fugam.
Vitales iterum redeat si forte sub auras,
Priamiden pudeat me rapuisse Parin.
Te quoq. bellandi duros, Menelaë, labores
Pro malè formosa sustinuisse piget.
Et meritò, quoniam priscum decus omne recessit,
Inq. meo solus purpurat ore rubor.
O Asiæ cineres, & Troiæ busta sepultæ,
Et facibus quondam Pergama victa meis,
Heu nostris gaudete malis: abit ille Lacænæ
Candor, & intactis gratia mixta genis.
Par cinis in nostro sordescit crine, recumbit
Tyndaris annoso penè sepulta situ.
Hæc Helene quondam: sed tu tunc, Magdala, rerũ
Disce parum stabiles consuluisse vices.

AD EANDEM

Non dum resipiscentem.

ELEGIA III.

Erte ratem; nimis infidum tua, Magdala, pontum
Puppis arat. scopulis iam dabit illa latus.
Idaliæ nunquam tutò senuere carinæ,
Mersa iacet Cyprio plurima turba salo,
Quò magis implerunt ventis data vela secundis;
Hòc magis in syrtes, & freta cæca ruunt.
Al-

Alternant in amore vices Libitina, Venusq.
Mors, & amor iuncto fœdere sceptra regunt?
Quà Venus incedit, gressu Libitina sequaci
Insequitur, callem quem terit illa, terit;
Vrit amor curis, mors atra doloribus vrit,
Hic lacrymas, lacrymas elicit illa suas.
Conficit hic animum, corpus mors dira resoluit,
Et sua mors gestat spicula, gestat amor.
Pallet amor, pallet moriens, testatur amator
Se nimis aduerso semper amore mori.
Mortis ad arbitrium se lapsa cadauera flectunt;
Flectitur arbitrio semper amoris amans.
Quid quòd funesta non nunquam cæde cruentus
Supplicium duræ legis amator adit?
Narret Hypernestre quo sit scelerata periclo,
Infelix nati cuspide cæsa parens.
Ah quoties doluit Veneri seruisse nefandæ,
Dum soboles ferro triste perurget opus!
Impuros quoties conuicia fecit amori,
Dum ferus in matris viscera sæuit Amor!
Quid facis heu studiose nimis genitoris Oreste?
In matrem patrij funeris vltor eris?
Te peperit, quam sternis atrox, age proijce ferrũ,
Impius es, patri dum cupis esse pius.
Quæ dedit, hæc eadem pietas tibi surripit ensem,
Quæq. furor stimulat tela, retardat amor.
Tune potes matri pro lacte parare cruorem?
Pro vita lethum restituisse potes?
Si meruit scelerata mori, moriatur, at expers
Materni natus funeris vnus eat.
Est scelus in caram natum, sæuire parentem;

Dulce nimis pignus nomina matris habent.
Ipse pater quamuis impuræ coniugis armis
Occiderit, prolis non tamen ausa probat:
Omnia progenies patrio concedat amori,
Tantum materno dextra cruore vacet.
Quid loquor? ecce parens nati datur hostia ferro,
An potius veneris concidit icta manu?
Tu magis Helciados mores imitare pudicos,
Magdala, stet vultus Helcias ante tuos.
Illa pudicitiam turpi ne labe notaret,
Sustinuit diræ subdere membra neci:
Ecce senes impura virum duo corpora fictos
Composita gaudent nectere fraude dolos.
Supplicij nec pæna satis fuit vna duobus:
Damna simul vitæ, damna pudoris amant:
Crimen adulterij sceleratis vocibus ornant,
Vt subeat turpem casta puella notam.
Et quoniam vitæ voluit præferre pudorem,
Qua magis optauit viuere parte, cadat.
Proh scelus! ecce reā statuunt; iā crimē acerbāt,
Iam sacer, impurus creditur esse pudor.
Forsitan & cæco sub iudice corruat insons,
Ni Deus in sontes æquior Argus erat.
Nimirum cæli seruat tutela pudicos,
Et Venus insidijs proditur ipsa suis.
Helcias eripitur lapidum deuota procellæ;
Et trahit impuros debita pæna reos.
I nunc, & Cypriæ tandem confide fauillæ;
Quantos sæpe rogos ista fauilla parit!

AD

AD MAGDALENAM

Curarum stimulis ægram sub ipsis resipiscentiæ initijs.

ELEGIA IV.

[illegible] nunc, & genitam sub amaro gurgite
I[illegible] Cyprim
[illegible] Magdala, sisquāuis docta negare, nega;
[N]onne tibi mens ægra nouis nūc fluctuat vndis?
Nonne sub alterno turbine corda labant?
[I]n quibus oppugnat tua nunc Erycina procellis
Pectora, dum tutum prendere littus amas!
[Na]m te dius Amor flammis cælestibus afflat,
Et iubet Idalium comminuisse iugum.
[O]bstat Acidalius Puer, & lasciua voluptas;
Et Cytherea suis obstat iniqua dolis.
[S]æpe piget turpis scelerum sordescere cæno,
Sæpe iuuat blandis succubuisse malis.
[I]llecebræ nunc corda tenent, nūc fama pudoris;
Hinc amor, hinc odium mutua bella gerunt.
[F]luctibus alternis cæca iactaris in vnda,
Et procul à portu naufraga vita iacet.
[I]nterea lacrymæ mæstis voluuntur ocellis,

Dulce nimis pignus nomina matris habent.
Ipse pater quamuis impuræ coniugis armis
Occiderit, prolis non tamen ausa probat.
Omnia progenies patrio concedat amori,
Tantum materno dextra cruore vacet.
Quid loquor? ecce parens nati datur hostia ferro,
An potius veneris concidit icta manu?
Tu magis Helciados mores imitare pudicos,
Magdala. stet vultus Helcias ante tuos.
Illa pudicitiam turpi ne labe notaret,
Sustinuit diræ subdere membra neci.
Ecce senes impura virum duo corpora fictos
Composita gaudent nectere fraude dolos.
Supplicij nec pæna satis fuit vna duobus:
Damna simul vitæ, damna pudoris amant.
Crimen adulterij sceleratis vocibus ornant,
Vt subeat turpem casta puella notam.
Et quoniam vitæ voluit præferre pudorem,
Qua magis optauit viuere parte, cadat.
Proh scelus! ecce reã statuunt; iã crimẽ acerbãt,
Iam sacer, impurus creditur esse pudor.
Forsitan & cæco sub iudice corruat insons,
Ni Deus in sontes æquior Argus erat.
Nimirùm cæli seruat tutela pudicos,
Et Venus insidijs proditur ipsa suis.
Helcias eripitur lapidum deuota procellæ,
Et trahit impuros debita pæna reos.
I nunc, & Cypriæ tandem confide fauillæ;
Quantos sæpe rogos ista fauilla parit!

AD MAGDALENAM

Curarum stimulis ægram sub ipsis resipiscentiæ initijs.

ELEGIA IV.

nunc, & genitam sub amaro gurgite
Cyprim
Magdala, sisquāuis docta negare, nega;
Nonne tibi mens ægra nouis nūc fluctuat vndis?
Nonne sub alterno turbine corda labant?
Ah quibus oppugnat tua nunc Erycina procellis
Pectora, dum tutum prendere littus amas!
Iam te dius Amor flammis cælestibus afflat,
Et iubet Idalium comminuisse iugum.
Obstat Acidalius Puer, & lasciua voluptas;
Et Cytherea suis obstat iniqua dolis.
Sæpe piget turpis scelerum sordescere cæno,
Sæpe iuuat blandis succubuisse malis.
Illecebræ nunc corda tenent, nūc fama pudoris;
Hinc amor, hinc odium mutua bella gerunt.
Fluctibus alternis cæca iactaris in vnda,
Et procul à portu naufraga vita iacet.
Interea lacrymæ mæstis voluuntur ocellis,

Fluctuet vt gemino mersa carina mari.
Nec stimulis vrgere malus tua corda Cupido,
Nec parcit læsus sollicitare pudor.
Inter vtramq. facem fœdæ, castæq. fauillæ,
Incerto traheris non bene firma gradu
Tùne meos fugitiua lares, mea castra relinques
Magdala? turbato pectore Cypris ait.
Quo malè cauta ruis? quò te vocat impetus amēs?
Tot bona tam celeri deseruisse fuga?
Arbitrio spatiosa tuo flectuntur amoris
Regna, tua nostræ lege reguntur opes.
Aspice te quantus cætus circumstat amantum,
Ad nutus acies officiosa tuos!
Ad risus centum ora tuos ridere videbis,
Et centum ad lacrymas illacrymare oculos.
Siue gemis, gemitus non vnica pectora pulsat,
Siue doles, serpit mille per ossa dolor.
Mille tuis pendent examina nexa capillis,
E roseis pendent agmina mille genis.
Ingens turba tuis seruit captiua triumphis,
Tu sidus, cupidæ tu Dea gentis ades,
Ah ne te fugiant tranquillæ munera sortis;
Fixa tot Idalio clara trophæa tholo.
Hæc Cypris: at Cypriæ semper contrarius ardo[r]
Sic tacito dias suggerit igne faces.
O patrio mulier cælo sata, siccine cæli
Immemor ad Stygios irruis acta lacus?
Hos Cypris ad portus miseros impellit amantes,
Huc agit incautus insidiata rates.
Post decus ammissum famæ, titulumq. pudoris,
Post tot inexhaustæ certa pericla necis

Ad

Ad piceum Phlegethonta leuis Cytherea carinas
Vrget, in hoc errat Cypria turba lacu.
Carbasa quæ quondam ventis Erycina secundis
Imbuit, hic tumidos deposuere sinus.
Hic impura suos nequicquam deuouet ignes,
Mersaq. sulphureo gurgite Phædra natat.
Infelix stimulis agitata nouerca cruentis,
Seu fremit vrsa ferox, seu Lupa peior, amat.
Hic & Pasiphaë sceleratas passa fauillas
Discit Acidalius quam sit amarus amor.
Hic Helene, cætusq. frequens quem Cypris amauit
Obruit impuri crimen amoris aqua.
Hic tibi portus erit, Cyprijs ni vela procellis
Subtrahis, & cæli Magdala littus amas.
Hæc pietas: at tu cælo parere vocanti
Disce, tuis longum fracta puella malis.

MAGDALENA

RESIPISCIT.


ELEGIA V.

Vnde Venus lacrymas, lacrymas indicit amaras
Illa, tibi mollis quæ modò risus erat
Illa Cupidineis fortissima miles in armis
Expedit armatas in tua damna manus.
Quæ Solymas tua signa tulit iurata per vrbes

Signa pudicitiae iam potiora refert.
Illam dius Amor sua nunc ad castra reposcit;
Et noua militiae tollere signa iubet,
Arma quibus victrix nuper tua bella peregit,
Exuit, & sacro cingitur ense latus.
Ah quam triste tibi vulnus tua praeda minatur!
In te nunc arcus expedit illa tuos.
Flamma recens, bona flāma sacris accensa fauillis
Molitur rabidos in tua damna rogos.
Magdala naufragium quondam ferale pudoris,
Impuros agitat facta pudica dolos.
Fle Venus, illa tibi compto coma nexa capillo
Te nunc incompto libera crine petit.
Qui tibi captiuos nectebat crinis amantes,
Nectit in exitium vincula mille tuum.
Quiq. tuos oculi vibrarunt eminus ignes;
Extinguunt ignes imbre fluente tuos.
Infelix, viden in liquidos vt Magdala fletus
Soluitur, & fletu noxia facta lauat?
Hic Cytherea cadis, fletu demersa sub isto
Victa superfusa lumina claudis aqua,
Vnda tibi pelagi cunabula praebuit olim;
Vnda tibi tumulum nunc lacrymosa dabit.
Tota tuas furit in paenas caelestis Amazon,
Robur in excidium colligit omne tuum.
Vestes ah quondam malè sani pignus amoris
Ipsa sua gaudet dilacerare manu.
Et quaecunq. malus dedit ornamenta Cupido
Tradit inextincto pabula nigra rogo:
Dumq. cremant rabidae feralia dona fauillae
Dicitur haec maestis verba dedisse sonis.
Turpes

Turpes exuuiae nostri monumenta furoris,
  Et sceleris quondam barbara pompa mei,
Ite agite in cinerem,& flammâ restinguite flāmis
  Flammam quae nostrum perdidit vna decus.
O vtinam mea vobiscum tumulata iaceret
  Fama per infames exagitata faces.
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae
  Expiet impurum pura fauilla nefas.
Magdalis infelix, quae te tam dira cupido
  Abstulit? ò animi probra pudenda mei!
Ergo ego virginei violato flore pudoris
  Tot quondam populis fabula faeda fui?
O vtinam nunquam Cythereïa gaudia nossem,
  Nec nossem lusus, perfida Cypri, tuos.
Quantum flagitij tecum, Vulcane, peribit,
  Exures Veneris dum monumenta meae!
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae:
  Expiet impurum pura fauilla nefas.
Vos etiam nitidis conserta monilia baccis
  Et modò de comptis pendula gemma comis.
Ite procul. iuuat incultis horrere capillis
  Scilicet & laceros explicuisse sinus.
Quid mihi cū gēmis? quid cū Gangetide bacca?
  Bacca sit ex oculis pendula gutta meis.
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae:
  Expiet impurum pura fauilla nefas.
Me miseram! quae me furiae rapuistis amantem?
  Amentem quis me perditus egit amor?
Vidi naufragium nostri crudele pudoris;
  Et potui culpae tunc superesse meae?
Ad Veneris scopulos, allisam turpe carinam

Iam capit ante locum, iam se metitur in illo,
Iam cupit in querno secubuisse toro.
Sæpe Senis vires arcano robore firmat.
Impellit tacito Numine saepe manum.
Ipse docet quae ligna prius, quæ summa reponat,
Quae quibus anteferat dædalus arte faber.
Et iam perfecto noua per molimina textu,
Constiterat sacrae mobile molis opus.
Hoc tener implet Amor. fessæ gaudete Camænæ,
Iam libet argutam deposuisse lyram.



ELEGIARVM

LIBER IV.

AD MAGDALENAM

Impuro amore perditam.

ELEGIA I.

QVid iuuat ornato procedere crine per vrbem
Magdala? quid faciles disposuisse comas?
Aut quid Erythraeis digitos ornare lapillis,
Et gemma nitidos implicuisse sinus?
Quid minio fucare genas? quid veste superbam
Ire? quid Assyrio rore madere caput?
Infelix opibus tantis quid praeter honoris
Funus, & heu famae flebile vulnus emis?
Non pretiosa tuis graderis, sed faeda lapillis,
Si pretium tecum criminis ipsa vehis.
Venari plausus iuuenum, vulgare pudorem;
Hoc erit ingenuae nobilitatis opus?
Vendere blanditias, conceptis fallere verbis,
Egregium sanè fraus habet ista decus.
Post humeros Procerũ deducere vulgus amantũ,

Ista triumphati pompa pudoris erit?
Circumferre oculos, collumq. rotare decorum;
Hoc est fortunae constituisse rotam?
Magdala quam vanos nutris sub pectore sensus?
Ignosco. caeco sub duce, caeca ruis.
Quid florem tenerae iactas lasciua iuuentae?
Ista iuuentutis gloria prona fugit.
Quid vultum demens crystallo iudice fingis?
Iam tua crystallo iudice forma labat.
Crede vitro, vitreus decor est tibi. suspice cælū:
Has tuus ad flammas fac reparetur honor.
Pone modum furijs, & iniquis improba curis,
Ah nimis in curas desidiosa tuas.
Non pudet arguto traducier indice passim,
Et sceleris tota dicier vrbe ream?
Fabula iam Solyma de te narratur in omni,
Deq. tuo multus crimine rumor abit.
Saepe puer cyprius blanda te voce lacessit,
Saepe Cypris placido murmure dicit, ama:
Magdala ne Cypriae; Cyprio neu crede puello,
Vana puer fingit gaudia, vana Venus.
Mentitur cum prole parens, non degener alter
Alterius. fallit Cypria, fallit amor.
Nulla venenato venit sine felle voluptas,
Miscuit infida quam Cytheraea manu.
Tu tamen huic malè cauta tuos comittis amores?
Hanc colis ingenita mobilitate ducem?
At non sic olim Bethulias heroina
Aurata mulier conspicienda coma,
Indulsit genio; vitae sed prodiga, nulli
Sustinuit famae succubuisse notae.

Vide.

Viderat haec patriam duro sub Marte labantem,
  Et bello fractos iam cecidisse duces,
Quid faciat? nihil illa necis mala damna pauescit,
  Damna pudicitiae sed grauiora timet.
Ergò ne titulum perdat captiua pudoris,
  Neu patriae tristes ploret multa vices,
Implorat caelum. caelo duce fortis Amazon
  Audet in armatum cominus ire ducem.
Protinus auratos disponit in ordine crines,
  Insidiasq. coma sub fluitante locat.
Fusa capillorum pars est, pars indita vinclis,
  Inditus vt vinclis barbarus hostis eat.
Fucatur minio facies, fucantur ocelli,
  In fuco valeat quò latuisse dolus,
Palma coronatae decus est, & gloria frontis,
  Omine victricis ne sine frondis eat.
Candida gemmatâ decorantur colla catena,
  Vinciat vt captum dura catena ducem.
Ipse Pater Superum formae mortalis honores
  Auget, vt aeternus ritè triumphet honor.
Candidior niuibus circundat corpus amictus,
  Non tamen hic pacis faedera candor habet.
Bella tibi, Gradiue, canit; tibi bella minatur
  Ductor Orontaei, saeue Tyranne, gregis.
Ipsis quin etiam pedibus sandalia nectit;
  Vt norint ipsi vulnera ferre pedes.
Stat manus Eois nimium pretiosa lapillis
  Hostilis pretium mox habitura necis.
Hoc mulier cultu caelo decorata magistro,
  Protinus Assyrium conuolat ante Ducem,
Miratur ferus ille genas, miratur honores

Ver-

Verticis, & sparsas pulchra per ora faces;
Vna tamen placuere magis sandalia [illegible],
Haec misero miris cor rapuere modis.
Iam fractae cecidere minae, cecidere furores
Pectoris & laeto risus in ore nat[illegible].
Indulget genioq. tumens, dapibusq. supremis
Nescius exitium iam properare suum.
Iamq. mero, somnoq. grauis discumbit in ostro,
Et gemina saturum ponit in aure caput.
At mulier Superis in publica vota vocatis,
Armatam nudo sustulit ense manum:
Cæditur impura caput à ceruice resectum,
Et multo calidus voluitur amne cruor.
Sic mulier pudibunda sibi, patriaeq. salutem
Attulit, & Martis perdidit arma Venus.

AD EANDEM

Adhuc impuram.

ELEGIA II.

Vana est ista tuae fiducia Magdala formæ,
Qua teris Isacias ambitiosa vias.
Forma, bonum quo non aliud velocius vllum
Labitur, & nullo stat fugitiua loco.
Forma malum, quo non aliud crudelius vsquam,
Viuit, & aeternum corda perire iubet.

Tu

Tu licet irradies auro ; multoq. nitescas
Murice , vel tota facta superba Tyro ,
Non poteris formæ celeres cohibere volatus ,
Nec lapsum vultus restituisse decus .
Illa fugax iam iam volucri corrumpitur æuo ,
Iam ciet instabiles irrequieta pedes .
Nulla dies abit , è pulchro quin corpore prædam
Auferat , & rapidas præferat ante rotas .
Tyndaris Argolicis nimium celebrata poëtis
Inter tot Graias vnica forma nurus ,
Non potuit vultus florem reparare cadentem ,
Nec capitis canas dissoluisse niues ,
Ah quoties dextra vitreum dum sustinet orbem
Ingemit ! & fulgor quo meus , inquit , abit ?
Heus vbi nũc Helene? pulchræ quo forma Lacænæ
Cessit , & exitio nata figura meo ? (ror
Hæne genæ quas pallor habet, quas luridus hor-
Occupat , & rugis pigra senecta notat ,
Hæ Phrygios strauere duces , strauere Pelasgos ?
Hæ bello socias implicuere manus ?
Hinc oculi fouere faces , quibus Ilion arsit ?
Et quibus in cineres Troia sepulta iacet ?
Qui nunc obscura tecti caliginis vmbra
In tenebris ignes deposuere suos .
Hæc coma quæ canis horret resoluta capillis ,
Argiuos potuit tot religare procos ?
Me miserã! quò frontis ebur? quò purpura vultus!
Pectoris intactæ quò cecidere niues ?
Non equidem frustra genitor meus induit alas ,
Alatos habuit dum mea forma pedes .
Læda parens, mihi pluma tui concessit oloris ,

Vt caperet volucrem noſtra iuuenta fugam.
Vitales iterum redeat ſi forte ſub auras,
Priamiden pudeat me rapuiſſe Parin.
Te quoq. bellandi duros, Menelaë, labores
Pro malè formoſa ſuſtinuiſſe piget.
Et meritò, quoniam priſcum decus omne receſſit,
Inq. meo ſolus purpurat ore rubor.
O Aſiæ cineres, & Troiæ buſta ſepultæ,
Et facibus quondam Pergama victa meis,
Heu noſtris gaudete malis: abit ille Lacænæ
Candor, & intactis gratia mixta genis.
Par cinis in noſtro ſordeſcit crine, recumbit
Tyndaris annoſo penè ſepulta ſitu.
Hæc Helene quondam: ſed tu tunc, Magdala, rerũ
Diſce parum ſtabiles conſuluiſſe vices.

AD EANDEM

Non dum reſipiſcentem.

ELEGIA III.

Verte ratem; nimis infidum tua, Magdala, pontum
Puppis arat. ſcopulis iam dabit illa latus.
Idaliæ nunquam tutò ſenuere carinæ,
Merſa iacet Cyprio plurima turba ſalo,
Quò magis implerunt ventis data vela ſecundis;
Hòc magis in ſyrtes, & freta cæca ruunt.

Al-

Alternant in amore vices Libitina, Venusq.
Mors, & amor iuncto fædere sceptra regunt.
Quà Venus incedit, gressu Libitina sequaci
Insequitur, callem quem terit illa, terit;
Vrit amor curis, mors atra doloribus vrit,
Hic lacrymas, lacrymas elicit illa suas.
Conficit hic animum, corpus mors dira resoluit,
Et sua mors gestat spicula, gestat amor.
Pallet amor, pallet moriens, testatur amator
Se nimis aduerso semper amore mori.
Mortis ad arbitrium se lapsa cadauera flectunt,
Flectitur arbitrio semper amoris amans.
Quid quòd funesta non nunquam cæde cruentus
Supplicium duræ legis amator adit?
Narret Hypernestre quo sit scelerata periclo,
Infelix nati cuspide cæsa parens.
Ah quoties doluit Veneri seruisse nefandæ,
Dum soboles ferro triste perurget opus!
Impuros quoties conuicia fecit amori,
Dum ferus in matris viscera sæuit Amor!
Quid facis heu studiose nimis genitoris Oreste?
In matrem patrij funeris vltor eris?
Te peperit, quam sternis atrox, age proijce ferrũ,
Impius es, patri dum cupis esse pius.
Quæ dedit, hæc eadem pietas tibi surripit ensem,
Quæq. furor stimulat tela, retardat amor.
Tune potes matri pro lacte parare cruorem?
Pro vita lethum restituisse potes?
Si meruit scelerata mori, moriatur, at expers
Materni natus funeris vnus eat.
Est scelus in caram natum sæuire parentem;

Dulce nimis pignus nomina matris habent.
Ipse pater quamuis impuræ coniugis armis
Occiderit, prolis non tamen ausa probat:
Omnia progenies patrio concedat amori,
Tantum materno dextra cruore vacet.
Quid loquor?ecce parens nati datur hostia ferro,
An potius veneris concidit icta manu?
Tu magis Helciados mores imitare pudicos,
Magdala. stet vultus Helcias ante tuos.
Illa pudicitiam turpi ne labe notaret,
Sustinuit diræ subdere membra neci:
Ecce senes impura virum duo corpora fictos
Composita gaudent nectere fraude dolos.
Supplicij nec pæna satis fuit vna duobus:
Damna simul vitæ, damna pudoris amant!
Crimen adulterij sceleratis vocibus ornant,
Vt subeat turpem casta puella notam.
Et quoniam vitæ voluit præferre pudorem,
Qua magis optauit viuere parte, cadat.
Proh scelus! ecce reā statuunt; iā crimē acerbāt,
Iam sacer, impurus creditur esse pudor.
Forsitan & cæco sub iudice corruat insons,
Ni Deus in sontes æquior Argus erat.
Nimirum cæli seruat tutela pudicos,
Et Venus insidijs proditur ipsa suis.
Helcias eripitur lapidum deuota procellæ;
Et trahit impuros debita pæna reos.
I nunc, & Cypriæ tandem confide fauillæ;
Quantos sæpe rogos ista fauilla parit!

AD MAGDALENAM

Curarum ſtimulis ægram ſub ipſis reſipiſcentiæ initijs.

ELEGIA IV.

I nunc, & genitam ſub amaro gurgite Cyprim
Magdala, ſisquãuis docta negare, nega;
Nonne tibi mens ægra nouis nũc fluctuat vndis?
Nonne ſub alterno turbine corda labant?
Ah quibus oppugnat tua nunc Erycina procellis
Pectora, dum tutum prendere littus amas!
Iam te dius Amor flammis cæleſtibus afflat,
Et iubet Idalium comminuiſſe iugum.
Obſtat Acidalius Puer, & laſciua voluptas;
Et Cytherea ſuis obſtat iniqua dolis.
Sæpe piget turpis ſcelerum ſordeſcere cæno,
Sæpe iuuat blandis ſuccubuiſſe malis.
Illecebræ nunc corda tenent, nũc fama pudoris;
Hinc amor, hinc odium mutua bella gerunt.
Fluctibus alternis cæca iactaris in vnda,
Et procul à portu naufraga vita iacet.
Interea lacrymæ mæſtis voluuntur ocellis,

Fluctuet vt gemino mersa carina mari.
Nec stimulis vrgere malus tua corda Cupido,
Nec parcit læsus sollicitare pudor.
Inter vtramq. facem fædæ, castæq. fauillæ,
Incerto traheris non bene firma gradu
Tune meos fugitiua lares, mea castra relinques
Magdala? turbato pectore Cypris ait.
Quo malè cauta ruis? quò te vocat impetus amesi
Tot bona tam celeri deseruisse fuga?
Arbitrio spatiosa tuo flectuntur amoris
Regna, tua nostræ lege reguntur opes:
Aspice te quantus cætus circumstat amantum,
Ad nutus acies officiosa tuos!
Ad risus centum ora tuos ridere videbis,
Et centum ad lacrymas illacrymare oculos:
Siue gemis, gemitus non vnica pectora pulsat
Siue doles, serpit mille per ossa dolor.
Mille tuis pendent examina nexa capillis,
E roseis pendent agmina mille genis.
Ingens turba tuis seruit captiua triumphis,
Tu sidus, cupidæ tu Dea gentis ades,
Ah ne te fugiant tranquillæ munera sortis;
Fixa tot Idalio clara trophæa tholo.
Hæc Cypris: at Cypriæ semper contrarius ardo
Sic tacito dias suggerit igne faces,
O patrio mulier cælo sata, siccine cæli
Immemor ad Stygios irruis acta lacus?
Hos Cypris ad portus miseros impellit amantes,
Huc agit incautus insidiata rates.
Post decus ammissum famæ, titulumq. pudoris,
Post tot inexhaustæ certa pericla necis

Ad

Ad piceum Phlegethonta leuis Cytherea carinas
Vrget, in hoc errat Cypria turba lacu.
Carbasa quæ quondam ventis Erycina secundis
Imbuit, hic tumidos deposuere sinus.
Hic impura suos nequicquam deuouet ignes,
Mersaq. sulphureo gurgite Phædra natat.
Infelix stimulis agitata nouerca cruentis,
Seu fremit vrsa ferox, seu Lupa peior, amat;
Hic & Pasiphaë sceleratas passa fauillas
Discit Acidalius quam sit amarus amor.
Hic Helene, cætusq. frequens quem Cypris amauit
Obruit impuri crimen amoris aqua.
Hic tibi portus erit, Cyprijs ni vela procellis
Subtrahis, & cæli Magdala littus amas.
Hæc pietas: at tu cælo parere vocanti
Disce, tuis longum fracta puella malis.

MAGDALENA RESIPISCIT.

ELEGIA V.

VNde Venus lacrymas, lacrymas indicit amaras
Illa, tibi mollis quæ modò risus erat
Illa Cupidineis fortissima miles in armis
Expedit armatas in tua damna manus.
Quæ Solymas tua signa tulit iurata per vrbes

Signa pudicitiae iam potiora refert.
Illam dius Amor sua nunc ad castra reposcit;
  Et noua militiae tollere signa iubet,
Arma quibus victrix nuper tua bella peregit,
  Exuit, & sacro cingitur ense latus.
Ah quam triste tibi vulnus tua praeda minatur!
  In te nunc arcus expedit illa tuos.
Flamma recens, bona flāma sacris accensa fauilli
  Molitur rabidos in tua damna rogos.
Magdala naufragium quondam ferale pudoris,
  Impuros agitat facta pudica dolos.
Fle Venus, illa tibi compto coma nexa capillo
  Te nunc incompto libera crine petit.
Qui tibi captiuos nectebat crinis amantes,
  Nectit in exitium vincula mille tuum.
Quiq. tuos oculi vibrarunt eminus ignes,
  Extinguunt ignes imbre fluente tuos.
Infelix, viden in liquidos vt Magdala fletus
  Soluitur, & fletu noxia facta lauat?
Hic Cytherea cadis, fletu demersa sub isto
  Victa superfusa lumina claudis aqua,
Vnda tibi pelagi cunabula praebuit olim;
  Vnda tibi tumulum nunc lacrymosa dabit.
Tota tuas furit in paenas caelestis Amazon,
  Robur in excidium colligit omne tuum.
Vestes ah quondam malè sani pignus amoris
  Ipsa sua gaudet dilacerare manu.
Et quaecunq. malus dedit ornamenta Cupido
  Tradit inextincto pabula nigra rogo:
Dumq. cremant rabidae feralia dona fauillae
  Dicitur haec maestis verba dedisse sonis.

Turpes

Turpes exuuiae nostri monumenta furoris,
Et sceleris quondam barbara pompa mei,
Ite agite in cinerem,& flammã restinguite flãmis
Flammam quae nostrum perdidit vna decus.
O vtinam mea vobiscum tumulata iaceret
Fama per infames exagitata faces.
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae;
Expiet impurum pura fauilla nefas.
Magdalis infelix,quae te tam dira cupido
Abstulit? ò animi probra pudenda mei!
Ergo ego virginei violato flore pudoris
Tot quondam populis fabula faeda fui?
O vtinam nunquam Cythereïa gaudia nossem,
Nec nossem lusus, perfida Cypri, tuos.
Quantum flagitij tecum, Vulcane, peribit,
Exures Veneris dum monumenta meae!
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae:
Expiet impurum pura fauilla nefas.
Vos etiam nitidis conserta monilia baccis
Et modò de comptis pendula gemma comis.
Ite procul. iuuat incultis horrere capillis
Scilicet & laceros explicuisse sinus.
Quid mihi cũ gẽmis? quid cũ Gangetide bacca?
Bacca sit ex oculis pendula gutta meis.
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae:
Expiet impurum pura fauilla nefas.
Me miseram! quae me furiae rapuistis amantem?
Amentem quis me perditus egit amor?
Vidi naufragium nostri crudele pudoris;
Et potui culpae tunc superesse meae?
Ad Veneris scopulos, allisam turpe carinam

Vidi, nec dixi naufraga vita vale.
Vita vale mea prisca. vale lasciua voluptas;
Et Venus, & Veneris faede puelle vale.
Argumenta mei sceleris funesta valete,
Et quidquid cordis turpis amauit, amor.
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae:
Expiet impurum pura fauilla nefas.
I speculum nostri simulachrum flebile vultus,
Flebile, nam vultum nil nisi flere doces.
Ah quoties ego te cupidis scrutabar ocellis
Laudatrix formae desidiosa meae!
Consului quoties ego te, quò iudice vitro
Quam formosa magis tam mage faeda forem:
Tu me tu leges fallendi saepe docebas,
Praebens heu furijs pabula caeca meis.
Nunquam inconsulto speculo loca publica adiui,
Crystallo semper iudice culta fui.
O vitae tenebras! ò cæcæ munera noctis!
Sum quoties vno crimine facta nocens!
Vrite funestæ nostrum scelus, vrite flammæ:
Expiet impurum pura fauilla nefas.
Ite pedum, manuumq. simul scelerata mearum
Pignora, Tartareo corripienda rogo. (do!
Proh superi, quā multa malus mouet arma Cupi-
Quam varia Cypris me facit arte ream!
Et sua fraus oculis est. & sua noxa capillo.
Non gena, non facies subdola fraude vacat:
Mentimur lingua, mentimur saepe colore,
Nulla fides verbis, nullus in ore color.
Corpora, me miseram! tenui velamus amictu;
Vt pudor in tecto corpore nudus eat.
Colla

Colla nitent gemmis, includit bacca lacertos,
Nequa suo tandem crimine membra vacent.
Compressos premit ansa pedes, & fibula mordet
Incedant tacita ne sine labe pedes.
Mille dolis miseræ turpes venamur amores,
Inuumera nostrum quaerimus arte probrum.
Hactenus hæc. nūc ite nigris data praeda fauillis,
O animi quondam pignora cara mei.
Vrite funestae nostrum scelus, vrite flammae;
Expiet impurum pura fauilla nefas.
Portus adest mihi, Diue, tui nunc portus Amoris,
Te mea felici flamine cymba petit.
Accipe me Cyprio iactatam gurgite dudum;
Et funem pedibus da religare tuis.
Haec ait, & cultu denudat membra profano
Et faedat rigido turpiter vngue genas.
Ora natant lacrymis, pulsantur pectora palmis;
Et volat ad Domini non reditura pedes.

MAGDALENA.

Ad Domini pedes prouoluta.

ELEGIA VI.

CVM tacito diuina rigat vestigia fletu
Magdalis, & roseas proluit imbre genas;
Vocibus his affata suum narratur Amorē,
Singultu querulos impediente sonos.

M. 5 O amor.

O amor, ò fero tandem mihi cognite Diuum
Regnator, cordis fax animata mei.
Tène ego læsi amens? tène ausa relinquere, durũ
Seruitium, & Veneris regna superba tuli?
Nonne fuit satius tristi seruire Tyranno,
Quam Cypriæ fædum sustinuisse iugum?
Me miseram. quæ me vinctam tenuere catenæ?
Quam validæ laqueis implicuere plagæ?
Vt me deceptam fallaci flore iuuentæ
Vana per impuras abstulit aura vias!
Errabam sine te mea lux obsessa tenebris,
Sola meum Veneris flamma regebat iter.
O iter auspicijs tritum feralibus olim!
O nimium fædo semita calle nocens!
Saxa per & scopulos, miserum raptabar acutos,
Mersaq. virginei cymba pudoris erat.
Et nisi me radijs tua lux afflaret Eois,
Volueret infido nunc quoq. præda salo.
Naufragij disiecta mei tu vela reducis,
Et reficis quassæ robora fracta ratis.
Heu quid eram cum te nõ dũ mea lumina norãt?
Hei mihi quam fædum Magdala crimen eram!
Et pudet, & doleo quoties, mea vita, recordor
Illa pudicitiæ damna cruenta meæ.
Attrita cum fronte procax media inter ephœbos
Ibam per Solymæ Cypria flamma vias.
O vbi tunc rutilis vibratum fulmen ab astris!
O vbi disrupta vastus hiatus humo!
Tunc me debuerant tumidæ sorbere procellæ;
Debuit insano flamma cremare rogo.
Tu tamen ò miserate meos, bone Diue, furores

Non.

Non finis, & placido Numine dexter ades.
O tua quale mihi lux improuisa refulsit,
Vt subito densum dispulit igne chaos.
Vt fleui, vt gemui mea cum contagia vidi!
Luce tua sordes, cum patuere meæ!
Quale perhorrescit primo cum sole viator
Se colubros inter concubuisse videt.
Tale ego turbatis erraui sola capillis,
Conscia iam quantò crimine turpis eram.
Spōte domos linquo patrias, mea mænia damno,
Et quæ tu foueas quærere tecta iuuat.
En teneo te, Diue, tuis affixa volutor
Gressibus, his longum fas mihi posse frui.
Non opto potiora, sinus petat alter, & oris
Oscula, diuinus sat mihi gressus erit.
Hæc ego perpetuo spargam vestigia fletu,
Flebilis vt sordes abluat vnda meas.
Fundite deciduos mea lumina, fundite rores:
Hoc vnodius rore rigatur Amor.
Ah quoties infelices peccastis ocelli
Prima meæ pestis semina, prima lues!
Per vos lethales hærent in corde sagittæ,
Per vos Idalius serpit in ossa furor.
Vester Acidalijs instructus fraudibus arcus
Tela Cytheriacis vibrat acuta dolis.
Ah quoties miseros miserè torquetis amantes
Mentiri faciles, nec simulare rudes!
Tranquilli soles, mæsti promittitis vmbras;
Vmbra tamen vestro semper ab axe venit.
Irati bellum, placidi spondetis amorem,
Sola tamen vester bella ministrat amor.

Nulla fides oculis, nullus pudor. addite fletus
  Fletibus, hæc vobis ars erit æqua magis.
Plantæ, diuino resperſæ puluere plantæ,
  Ponite puluereum me lacrymante ſitum.
Puluis abi concrete, meo deterſe capillo,
  E Domini pedibus ſordide puluis abi.
Mentior; haud potis auguſtus ſordeſcere puluis,
  Pulchrior aurato fulgurat ille Tago.
Vt mea fulgebit poſthac coma concolor auro;
  Cum, formoſe, tuo puluere diues erit!
Iam Berenicæos poterit peruincere crines,
  Phœbæam poterit iam ſuperare comam.
Lydius in flauam mutatur puluis arenam,
  Pactoli quoties lentus adhæret aquis.
At pedibus quicunq; tuis cinis ater inhæret,
  Ilicet auratas reddere geſtit opes.
Quin &, Diue, tuo mea iam coma munere felix,
  Inuadet Stygios puluerulenta duces.
Et tuus eſt validus bellator puluis, & audet
  Vnus Auernales perdomuiſſe greges.
Si quis olympiacas puluis potis edere palmas;
  Plantarum Domini gloria puluis erit.
Nunc ego quos hoſtes toties ſum nacta feroces
  Puluereo diſcam vincere crine ferox.
Ergo agite, ô dias lacryma perfundite plantas,
  Tuq. ſacros Domini terge capille pedes.
Hæc poſthac mea fama, Deidare greſſibus imbres,
  Et molles lento tergere crine pedes.
Addam etiam amplexus, & puris oſcula labris,
  Oſcula quæ caſtus caſta reponit Amor.
Ah ne Diue mei fuge flebile pignus amoris,

Neu.

Neu velli plantis me patiare tuis.
Hic ego quassatæ nectam retinacula puppis,
Anchora quassatæ tu bona puppis eris.
His Domini spargit vestigia Magdala guttis,
Gutta nec in vanos labitur vlla Notos.
Quot stillæ, rutilæ radiant tot in æthere stellæ;
Nempe Dei gressus ætheris instar habent.
Reddit terra polo pluuios quos accipit imbres;
Acceptæ superis sic referuntur aquæ.

MAGDALENA

Speluncam ingressura:

ELEGIA VII.

SYluestres frutices, latebrosaq. pumice tecta,
Et caua Massylis cognita lustra feris,
Dicite quos gemitus vestris effudit in antris
Magdala desertos iam subitura lares.
Illa quidem clausos nemorum penetrasse recessus
Dicitur, & gelidis subdita saxa iugis.
Innubem pertæsa diem, pertæsa serenum
Sidus, in vmbrosa deuia valle latet.
Scissa sinus, resoluta comas, & roscida vultum,
Ingeminat mæsta flebile voce melos.
Postquam sidereas cessit Sol dius in auras,
In tenebris tantum delituisse iuuat.

Quid

Quid mihi cum radijs, inquit, surgentis eoi?
En meus in cælum pulcher eous abit.
Ille mihi dulcem lucis faciebat amorem,
Ille mihi soles attulit, ille diem.
Nunc abijt nitor ille meus, meus ille serenus
Fulgor, & æternæ vena diurna facis:
Phœbæos odi radios, & conscia culpæ
Astra meæ. quid me lux inamæna iuuet?
Antra mihi, scelerumq. placent ignara meorum.
Lustra sub exesis contumulata iugis.
Magdala debueram iam pridem cæca luporum
Lustra sequi, facinus! cum lupa turpis eram.
Tunc decuit latebris miserum texisse pudorem,
Cum mihi non vllus stabat in ore pudor.
Nunc licet obscuro tumuletur corpus in antro,
Clara tamen læsi fama pudoris erit. (bis.
Hei mihi quòd nullus pudor est reuocabilis her-
Cum semel amisso floris honore cadit.
Sed tamē hæ ridēt latebræ mihi, & ōdar in vmbris.
Quis scit an hæc aliquam mi ferat vmbra facē?
Vmbra facem feret, obscuras si forte per vmbras
Occurres oculis fax animata, meis.
Nunc ego te gelida stratum sub rupe videbo
Aeternam media reddere nocte diem.
Sanguine nunc roseo tinctū, nunc lacte madentē,
Spargentem lacryma nunc salientē genas:
Nunc patrias fugientem oras, nūc regna petentē
Extera, quà tumidis Nilus abundat aquis.
Nunc iterum reducem patrijs meditabor in oris,
Nunc inter doctos agmina sacra Patres,
Iam nemorum deserta subis, iam Dite fugato
Ali-

Aligeros summa ducis ab arce choros.
Iam cæli consulta doces. Iordanis ad vndas
Iam tua lustrali tempora tingis aqua.
Iam fragili mare puppe secas, iam littora calcas.
Iam legis addictos ad tua iussa viros.
Me quoq; me miserâ bonus ad tua castra reducis,
Iam recolo vitæ noxia facta meæ.
Qualis eram cum luce tua perfusa repente
Agnoui quanto crimine fæda forem.
Vt madeo lacrymis quoties tua verba recurrunt,
Cum mihi dixisti, Magdala, pone metum!
Pone metum, scelus omne tuo de pectore cessit,
Dius vt incessit pectus amantis amor.
O amor, & nostræ penetralia sedis adisti,
Et triuere tui limina nostra pedes.
Et conuiua frequens fraternæ munera mensæ
Iunctus amicitiæ fædere sponte petis.
Ipsum quin etiam quarto iam Sole iacentem,
Ad vitæ fratrem munera prima vocas.
Et fletus miserate meos, miserate dolores
Sparsisti liquido molliter imbre genas.
O lacrymæ dij certum mihi pignus Amoris,
O mihi perpetui vena caloris aquæ.
Quos à me fontes tumidarum poscit aquarum
Vna olim ex oculis gutta caduca tuis?
Quid quòd & incusas peragétem multa sororē,
Meq. tuos pateris dulce souere pedes?
O dulces mea flamma pedes dū, Diue, manebas,
Dum nondum nostris eriperere plagis.
Vos ego vos acri traiectos vulnere vidi
Spargere purpureo sanguinis imbre solum.

Hos

Hæc me, Diue, tui quam triste cruentat imago!
Effigies oculos vt rapit ista meos!
Tène ego de duro pendentem stipite vidi
Hei mihi feralis flebile mortis onus!
Pendebas! caput, heu serto redimitus acuto,
Aere manus duro saucius, ære pedes;
Et tenerum dira transfixus cuspide pectus:
Ne qua diuinus parte lateret Amor.
Pendebas rigido pondus miserabile trunco,
Blanda venenato guttura felle satur.
Sed tunc dulce magis resonabat ab ore loquẽtis
Arcana magni Patris in aure melos.
Non facies, non vultus erat, non forma cadenti,
Sed tumor, & cædes, & sine luce decor.
Ah ego cur tam dura oculis spectacula vidi?
Extincto potui cur superesse Deo?
Felix terra, graui Domini quæ mota periclo
Laxauit patulum sponte reclusa sinum,
Felices scopuli, Numen qui flestis ademptum,
Emoto faciles dissiluisse iugo.
Ah ego nil præter lacrymas ignaua profudi;
Cur non è lacero pectore sanguis abit?
Te quoq. marmorea vidi sub caute iacentem,
Nec tumulum cautes mi quoq. dura dedit?
An dederat, nisi te vitæ redeunte sub auras
Reddita mi rursus languida vita foret?
Ah quam blanda mihi solatia, Diue, tulisti,
Dum domito tandem funere victor ades!
Ah quam blanda rapis solatia, sidera solus
Dum petis, & fultus nube micante fugis.
Amplexura sui vestigia cara lacertis,

Et vinctura tuos, gaudia nostra, pedes.
Sed dolor eripuit mentem, lacrymæq. cadentes
Luminibus, segnes detinuere manus.
Ascendis, patrijq. tenes penetralia regni
Victor, & imperio sidera clara regis.
Ipsa, nefas! vitam sine vitâ mortua duco,
Et viuam, quoniam sic mea vita, iubes,
Magdala quid trepidas inter caua lustra ferarum
Abdere vitalem semisepulta facem?
Ille tuus bonus hospes abit, cæloq. potitus
Te iubet heu solas incoluisse domos.
O mihi vel puro rutilas mage Sole tenebras,
O desiderijs antra petita meis.
Accipite hanc animã, atq. alijs me exoluite curis,
Cura sit vt nostri pectoris vna Deus.
Ante meos stabit semper meus ignis ocellos
Seu surges cælo Cynthia, siue cades.
Haud vllam captare iuuat me luminis auram
Ni quam diuini flaminis aura vehet.
Tu bone, sæpe meis occurre tuendus ocellis.
Sæpe sub hac clausam rupe require feram.
Dixit, & arcanum penitus secessit in antrum,
Antra tenent corpus, spiritus astra subis.



MAGDALENA

Speluncis abdita.

ELEGIA VIII.

Vc celeres properate: quis ò quis credat? amantes,
Veſtra ſub anguſto fornice flamma latet.
Credite: ſic Aetnæ fornacibus abditus ignis
Rupe ſub obiecta ſcit cohibere faces.
Feſtinate citi. iacet hoc tumulata ſub antro
Illa puellarum Magdala primus honor.
Sol quondam veſter, noctem qui pellere cordis,
Et potuit niueam conciliare diem.
In tenebris tumulatur. ades quicumq. nitentem
In media Solem nocte videre cupis.
Omnipotens genitor, quam certo dirigis arcu
Spicula! quam certo vulnere corda feris!
Vſq. adeò tua flamma. Pater, ſub pectore gliſcit,
Cogat vt humanos deſeruiſſe lares?
En modò quæ Solymas ibat laſciua per vrbes
Compta comas, veſtes aurea, picta genas,
Nunc gelida ſub rupe iacet, nunc caute ſub atra
Omne decus formæ penè ſepulta tegit.
Sed tamen è latebris multus quoq. fulgurat ignis,
Nec potis eſt omnes occuluiſſe faces.
Vt micat obſcuris argentea Luna ſub vmbris,

Mag-

Magdala sic cæca condita rupe micat.
Et tenebris roseos profert Aurora rubores,
In tenebris rutilum Magdala lumen agit.
Auroram credas, sic explicat aurea crinem,
Sic tenues pluuio lumine rorat aquas.
Sola silet, sæuitq. suos crudelis in artus;
Non gena, nō priscum frons tenet hirta decus.
Prima mali labes rutili plectuntur ocelli,
Impuram iussi fonte lauare luem;
Et reparare suo languentia lilia fletu,
Lilia quæ Cyprio perdidit igne Venus.
Nulla quies oculis, fletu sparguntur amaro
Seu Phœbus cælo, seu Soror alma nitet.
Damnati tenebris, & diluuio lacrymarum
Excubias pluuio sidere semper agunt.
Nec Solis faciem, somni nec munera norunt,
Nocte carent somno, luce micante, die.
O oculi quondam tranquillæ sidera frontis,
Vt tegitis vestrum nube nigrante decus!
Vt vice mutata gelidos effunditis imbres,
Vibrastis calido qui prius igne faces!
Fulmina belligeri qui iam geminastis amoris,
Flumina paciferæ nunc geminatis aquæ!
Fallor, an ipsa suum vibrant quoq. flumina fulmē?
Et Deus has optat vulnere fixus aquas? (ret,
Quid loquor, vt sparsis latè coma crinibus hor-
Aurea puniceas vincere nata rosas!
O Berenicæo rutili mage crine capilli,
Et modo Phœbææ par coma visa faci;
Vt citò puluereo sordescis squalida nimbo!
Vt citò turbatis crinibus hirta riges!

O tibi

O vbi nunc crispum repetitis nexibus aurum!
O vbi Pæstanis æmula fila rosis?
Forsan & euulsis flauo de vertice cirris
Flauescit raptis spina superba comis,
Ah pereat quæ spina tuos prædatur honores;
Natiuo spoliat quæ modò crine caput.
Et potuere boni quondam tot corda capilli
Nectere? tot laqueis implicuisse procos?
Qui nunc abiecto flaui fulgore metalli
Tantum senticomos implicuere rubos.
Quanquam nũc magis aurata coma luce refulget
Cum sordet piceo puluere fœda magis.
Nunc in magnanimum iaculatur tela Tonantem
Impliciti præbent cum sua tela vepres.
Quid loquor, ah dextra vibras ferale flagellum,
Magdala, nudatum cædere docta latus.
Ah quam dira tuos tempestas concutit artus,
Tempestas pluuio sanguinolenta lacu!
Siste manũs non tam valido cadit impete grãdo,
Dum cogit Scythicas horrida bruma niues;
Vt tua vibratis pulsantur corpora loris;
Vt pluit vndanti spumeus amne cruor.
Siccine læta rigas cælestis germina veris.
Magdalis? hoc mentis rore virescit ager?
Diuinásne rosas generoso sanguine tingis?
An magis hic reddit lilia cana cruor?
Quidquid id est, ah parce tuis, mea Magdala, venis,
Pene rigens omni vena cruore caret.
Exangues artus, & membra fluentia tabo
Aspiciat quisquis, Magdala dicat vbi est?
O vbi ridentesq; niues, & eburnea ceruix?

Et modò natiuis picta labella rosis!
O vbi cognato nuper gena perlita fuco?
O vbi formoso sparsus in ore rubor?
Omne fugit decus, omnis abit spectata venustas,
Omne iacet niueæ nobile frontis ebur.
Vt ratis, eoo cui prora micabat in auro,
Hæret arenosis mox inhonora vadis.
Credite, Magdaliden quicunq. videtis amantes;
Hæc olim vestri Numen amoris erat.
Qui nunc æterna sub nocte premuntur ocelli,
Hi niueam vobis exhibuere diem.
Quæ gena nunc mæsti præfert vexilla doloris,
Lætitiæ vobis prætulit ante facem.
Oraq. quæ succis nunc sponte rigantur amaris,
Nuper inexhaustis mella dedere fauis.
Et coma, quam dumis vrget paliurus acutis,
Nuper amatorum fixit acuta latus.
Dextera quæ mollis pectus perstrinxit amantum,
Perstringit pectus nunc violenta suum.
Musicus ecce canor mæstas facit ore querelas,
Blanditiæ blandos deposuere iocos.
Lux abit in tenebras, tectum migrauit in antrū,
Reddit inhumanas dulcior esca dapes,
Ornamenta Venus vano quæ fecit amori
Pannosos referunt dilacerata sinus.
Discite qui casti violastis iura pudoris,
Quas ferat ad pœnas desidiosa Venus.
Plectite plorando, quæ commisistis amantes,
Et labes ignis flebilis vnda lauet.

MAGDALENA GEMEBVNDA

Ad Domini tumulum.

ELEGIA IX.

IAm super Oceano roseo radiabat ab ortu
 Aurea puniceo quæ vehit axe diem;
Rosidus in gemmas passim descenderat humor,
 Et casus tereti sustinet orbe suos.
Iam volucres tremula nascentem voce salutant
 Auroram, reserat iam rosa picta sinum.
Scintillare dies nunquam meliore fauilla
 Visus, inauratum fuderat ore decus.
Cum subitò pectus diuinis saucia curis
 Magdala, corripuit languida membra toro.
Illa quidem nullos carpit sub nocte sopores
 Anxia, nec placida membra quiete rigat.
Ardet amans, cupit extinctũ complectier vlnis
 Numen, & ad tumuli ducere busta moras.
Euolat; addit amor pedibus properantibus alas;
 Quale per aerias missa sagitta vias.
O quibus illa replet vacuas singultibus auras!
 O quæ sollicito pectore verba iacit!
Iam propior, tumulo cupidos affigit ocellos
 Quã

Quà tegit exanguem flebilis vrna Deum.
Sed videt heu nudo reuolutum marmore saxum;
Dia nec in nudo marmore membra videt.
Ingemit, & circum rorantia lumina voluit,
Cunctaq. collustrat sedula. nullus erat.
Nullus erat; celeri glomerat vestigia gressu;
Rapta vocans circum Numina. nullus erat:
Tum verò laceratq. comas, & pectora tundit;
Et sæpe ad tumulum fertq. refertq. pedem.
Cum vacuam spectat, spectatam respuit vrnam;
Et procul ex vrna non reditura fugit,
Cum procul aufugit, reditum meditatur ad vrnã;
Et procul hinc gressum proripuisse piget.
Nulla quies animo, menti pax nulla, vagatur
Instabilis, voti nescia, cordis inops,
Dudũ obliqua tuens, dudum vaga, circuit, errat;
Hàc, illàc, properat, restitat, hæret, abit;
Ad tumulum tandem non discessura resedit.
Hìc vagus errantem stare coëgit Amor.
Saxum introspectat vacuum, lacrymabilis, amens;
Penè rigens lapidem visa referre lapis.
Hæret in obtutu spoliati fixa sepulchri
Scissa comas, curas anxia, muta sonos.
Incipit affari; vox interclusa loquentem
Deserit; & tacita pectora voce sonant.
Tandẽ inter lacrymarũ imbrẽ, gemitũsq. frequẽtes;
Vix via vi querulis est data certa modis.
Dic age dure lapis, cui sunt mea vota rapinæ?
Perfide commissum dic age pignus vbi est?
Siccine mi nudam referas inglorius vrnam?
Quid mihi cum nudo marmore? Numen amo.

Quam

Quam male custodis acceptum perfide pignus ?
Depositi custos, an magè raptor eras ?
R ptor eras prædure, meum mihi sæuus Amorē
Eripis, & cordi funera dira paras.
Dic mihi num furtim tacitas sub nocte viator
Præteriens humeris dulce leuauit onus ?
Improbe mentiris, non hinc prædator auarus
Pignore sublato clam celerauit iter
Nō pote diuinam clam prædo abducere prædā:
Lumine detectus si rapuisset erat.
Lumine quo Numen radiantia spicula torquet,
Quo densum rutilo discutit ore chaos.
Tu mage, sæue, meum pignus rapis, inq. reductis
Visceribus, clauso condis, auare, sinu.
Vtq. tua melius præda potiaris, ocellos
Non sinis in partem posse venire meos.
O durum semper lapidum genus; o male nostris
Perfide delicijs insidiate lapis.
Dispeream ni te tumido de gurgite pontus
Abiecit, raperes quod maris vnus opes.
Aut nisi te gelidis abrupit rupibus Hermon
Ingenio reliquis quod rudiore fores.
En cui credidimus cælestia pignora, Numen;
Cui licuit gremio continuisse Deum ?
Olim nec lapides, nec frigida marmora rebar
Scire quid exurens ignibus esset amor.
At postquā silices grauis hic quoq. corripit ardor
Testabor Scythicas posse flagrare niues.
Verum tam pulchro quis non arderet ab igni,
Visa semel tantum cui mea flamma foret ?
Ah nimium viuas vibrat calor ille fauillas!

Non

Non nix, non lapides sustinuisse valent.
Dius amor totum flammis incendit olympum:
Ipsum, quis credat? cogit amare mare.
Illum ne raperent condicta elementa timebam
Et facerent si mens pluribus vna foret:
Illum etiam timui ne ferrent astra per auras:
Sed benè, quòd nullas astra habuere manus.
Ipse suo Phœbus vexisset in æthera curru,
Phœbus ad occiduas ni properasset aquas.
Luna lubens raptura fuit, sed amica putauit
Sidera ad excubias inuigilare Dei.
Cælestes timui: nocuit mihi rustica cautes,
Rustica, nam raptas reddere nescit opes.
O quicunq. rudi ducis de marmore vultus
Huc ades, è duro hoc marmore finge Deum.
Fer chalybem, fac dura sonent ad verbera mõtes,
Incipe, præualida tunde, retunde, manu.
Verum ne nimius superet tua lumina fulgor,
Diuinum nigro syrmate conde iubar.
Tunde, retunde manu, geminato verbere sæui,
Informis formam ducat ab arte silex.
O quem te faber ore; pium, sæuumne vocabo?
Nam dum saxa feris, Numen ab arte refers.
O tibi quanta lapis tempestas imminet! ò quam
Crebro succumbes verbere cæsa silex!
Ingemis. agnosco. potes hunc vitare furorem,
Libera sis, raptum tu modò redde Deum.
Sed neq. mi reddis, neq. vulnera dura recusa;
Dædala nec Numen fingere dextra potest,
O vtinam lapis ipsa forem; Sypiléia qualis
Dicitur in scopulum diriguisse parens,

Non tu præriperes, lapis improbe, Numen amicū
Sed magè præreptas conquerere vices.
Nunc quid agā? qua te sperē prece posse moueri?
Quo te peruincam carmine dura silex?
Vt potero sperare piam te, rustica cautes,
Rapta facit pietas quam minus esse piam.
En vt dura riges, & nostro perlita fletu
Sponte videre meis illacrymata malis:
Nuper ad hæc inhians cum cara sepulcra venirē
Perlustrans oculis saxa propinqua meis.
In liquidos abij fletus, suspiria fudit
Pectus, & hæc querulo murmure dicta dedi:
Moles saxorum, & Domini sacraria nostri,
Et formosa oculis dia sepulcra meis
O vtinam gremio in vestro moribunda iacerem
Dum coniuncta meo dicerer esse Deo.
Isaciæ turres, & auita palatia gentis,
Et valeant patriæ tecta superba domus.
Hæc ego dicta dabam; subitò cum caute patenti
Aspexi vacuo marmora nuda sinu.
Vt vidi! vt gemui! liquidas vt vita per auras
Discessura graui tacta dolore fuit!
Cum redijt tandem mihi vox, crudelia clamo
Sidera, crudelem terq. quaterq. polum.
Sed polus, & nostris astra incusata querelis,
Hos mihi non vana voce dedere sonos:
Quid cælum accusas? odit furta impia cælum,
Quæq. semel tribuit munera, non repetit.
Quinquam si cælum iuuet indulgere rapinæ;
Vna foret cælo digna rapina Deus.
Hæc superi mecum sæuo si forte dolori,
Et

Et possent lacrymis imposuisse modum.
At tu dura silex Dominum prædata iacentem,
Claudis in occulto pignora rapta sinu,
Læta quod extinctus crudeli turbine lethi
Non posset viuax vrere marmor Amor.
Sed tamen vsq. time. vanum neu crede timorem
Quem rapis, extinctus sit licet, vrit Amor.
Ergò redde meum Numen mihi; redde priusquã
In cineres multa dissoluare face.
Redde meum mihi, dure lapis, dominumq. Deũq.
Annuis? an lapides dulcia furta iuuant?
Nescio quæ ferrum prædari saxa feruntur,
Prædari æternum nunc didicere Deum.
Si te furta iuuant veteres sectare rapinas;
Sit tibi præda chalybs, sit mihi præda Deus.
Hos daret ad tumulũ fletus dum Magdala, fletu
Penè sub assiduo lumina clausit Amor.
Dumq. locum gemitu, dum rustica saxa vocaret.
Rusticus est oculis visus adesse Deus.

DOMINI TVMVLVS

Ad Magdalenam Prosopopæia.

ELEGIA X.

LOQVAR. ille meum qui Sol face diua amica
Lustrauit lapidem, reddere verba docet.

Fertur & ad primam surgentis, lampada Solis
Vocalis nigri Memnonis esse lapis.
Ille quidem Phœbi radijs afflatus Eoïs
Interitum discit collachrymare suum.
Me meus in dulces sonitus animauit amator:
Dulce decet viuo Numine saxa melos.
Magdala quid vanis oneras mea busta querelis?
Quid mea mentito crimine saxa grauas?
Ille tuus domita viuit iam morte Magister,
Vinctaq. laurigera tempora fronde gerit.
Non, vt rere, mea clausus sub caute latescit.
Nec timet agrestis furta profana manus.
Sed vitæ rursus redijt generosus ad auras
Pallida post torui subdita regna Ducis.
Non illum media tacitus sub nocte viator
Sustulit, & gressum per caua lustra tulit.
Nec potuit prædam cæca prædator in vmbra
Condere, mortalis non tegit vmbra Deum.
Scimus, & hoc lapides tacita quoq. voce fatētur,
Magdala scire nouum nil mea saxa doces.
Desine iurgari: non me Neptunus in actam,
Expulit è medijs imperiosus aquis.
Hermoniæ iuga nec vidi glacialia rupis
Nobilis è Phario vertice cæsa silex.
Immeritò cautes à te quoq. rustica dicor:
Haud potis est Domini rusticus esse lapis.
Illius ad tactum nostro de viscere sensim
Quidquid erat duræ rusticitatis abit.
Quin & diuinos fateor me traxe calores
Vrimur, 'est venas flamma beata meas.
Omnia cælestis virtus peruadit Amoris,

Quis

Quis queat ad dias non caluisse faces?
Non tamē ad prædam calor hic impellit amantē.
Innocuus meus est, non sceleratus Amor.
Prædari licet optarent elementa Tonantem,
Et coniurato sidera fulua choro,
Quamuis in prædam cupidus properaret Apollo,
Lunaq. nocturnis lapsa per astra rotis.
Non tamen vlla meum rapuissent sidera Numen:
In fures, validum sat mihi robur erat.
Non ego prædatrix, nec prædatura tulissem
Pectora: prædonum non probat ausa Deus:
Ille volens cupido se se largitur amanti,
Si cupis, optatum Magdala Numen ama.
Quod si diuinos nostro de marmore vultus
Dædalea solers duceret arte faber;
O me felicem meritum portare Tonantis;
Numen, & effigiem sustinuisse Dei.
Nec me terrerent geminati verberis ictus;
Dura nec audaci mota procella manu.
Illa meum cuspis quæ tunderet aspera dorsum;
Imprimeret dorso Numinis ora meo.
Dextera diuinos, quæ me formaret ad vsus,
Dura licet pulsu, non mihi læua foret.
Læuaq. quæ nostrū perstringeret ardua marmor,
Visa sinistra aljis, sat mihi dextra foret,
Sed nequeunt, inquis, certis ab origine signis
Reddere mortales Numinis ora manus.
Auguror, æternus nitor est, æterna venustas,
Numinis, & nostro clarius igne iubar.
Sed tamen vt vultum valeam præferre Tonantis
Quid mihi si dextræ dicar inertis opus?

Vt libet expreſſo diuinæ munere formæ
  Geſtirem ſculptum poſſe referre Deum.
Quod ſi nunc ſola tumuli ſub imagine ſignor,
  Ferre nec æterni Numinis ora queo.
Hoc ſat erit; nec vile meum decus vſque feretur,
  Marmoris hoſpitio contumulaſſe Deum.
Nulla ſilex vnquam noſtros æquabit honores,
  Aequabunt titulos nulla ſtrophæa meos.
Numina marmoreo claudi tumulata ſepulcro
  Siqua canunt vatum carmina, ficta canunt.
Aeternum tumulaſſe Deum mihi contigit vni
  Vni mi Dominum continuiſſe datum.
Cedite mi lapides, operoſæ cædite moles,
  Inſlet noſtra ſacras vnica fama tubas,
Quid Mauſolæi cautes celebrata ſepulcri?
  Quid mihi par tandem regia buſta ferunt!
Par meus eſt cælo tumulus, par marmor olympo,
  Sidereas referunt noſtra ſepulcra domos.
Aſſidet ætherea Superum regnator in aula,
  Sedit & in noſtro ſaucius ille ſinu,
Illic Aligerum volitant per inane cohortes,
  Aligerum volitant ad mea buſta chori.
Sidera ſtellato fulgent radiantia cælo,
  Sidera ſunt gremio viſa nitere meo.
Deniq. Sol totum pura face luſtrat olympum
  Luſtrauit radijs me Deus ipſe ſuis.
Magdala quid mirum noſtro te marmore condi,
  Et claudi rigido concupijſſe ſinu.
Phœbus in hoc poſſet ſi ſeſe condere ſaxo,
  Phœbus ad occiduas non properaret aquas.
Scilicet eſt aliquid magno cum Numine Diuum

Com-

Communem tumuli posse referre domum.
Sed iam pone modum mæstis ingrata querelis;
Magdala. quid fletu marmora nostra rigas?
Si cupis imbre tuo calidas extinguere flammas,
Augetur lacrymis, non tenuatur amor. (guæ,
Quid cumulas maledicta? tuæ preme iurgia lin-
Reddere depositum, non rapuisse feror.
Sic chalybem si gemma trahat magnetica amicũ
Haud alijs tractum reddere segnis erit.
Inculpata mei viuet fortuna sepulcri
Mortua continui Numina, viua dedi.
Disce tuum fato meliori quærere Amorem,
Extinctum poscis qui tibi viuus adest.
Te miseram! viden', ille tuis occurrit ocellis;
Et te felici Magdala voce vocat.
Quin & adest: frontē dubio quid lumine voluis?
Ille tuas adstat fulgidus ante genas.
Non vt'rere rudis loquitur tibi cultor agelli.
Aspicis? an cæcus lumina clausit Amor?
I nunc, & crebrò mea rustica saxa vocato.
Stat tibi nunc medio rustica corde fides.



DE D. IGNATIO

Manresano sub specu latente.

ELEGIA XI.

DVm latebras Loiola subit, dum deuius vmbras
Quærit, & obscuræ rustica tesqua casæ,
Paulum Pierides gelidis succedite tectis:
Hospita sint vestris hæc quoq. tecta choris.
Et blandos memorate sonos, quibus ille Tonantem
Flexit, & aligeras ad sua verba manus,
Et quibus exagitans perstrinxit corpora loris,
Stringere dum loris lurida monstra parat.
Ille Pyrenæis validus bellator in armis,
Ingens militiae gloria, pacis honor;
Pertæsus graue Martis opus, pertæsus honores,
Et quidquid famae bellica laurus habet,
Ornamenta sui felicia corporis olim
Abijcit, & torta cannabe membra ligat.
Horret inornato corpus velatus amictu,
Non toga, non Tyrio fulget honore chlamys.
Nescit Amor cæli picto radiare sub ostro,
Pannoso melius tegmine opertus ouat.
Odit & hanc ipsam lucis spirabilis auram,
Cum scelerum sordes expiat vltor Amor.
Ergo iam dijs tactus Loiola fauillis,

Deuouet armigerae castra cruenta Deae.
Non tuba, non litui possunt retinere furentem;
Martia non valida classica pulsa manu.
Euolat, & superis auctoribus altera voluit
Bella sub auspicijs belligeranda nouis.
Occurrit subigendū Erebū, & Plutona domandū,
Pulsandum nigrae limina nigra domus.
Auscultandum astris, & caeli signa ferendum:
Quà se cunq; citis Sol agit acer equis.
Ante tamen fletu purgandum prisca recurrit
Crimina, quae turpi pectora labe notant.
Despicit hoc quodcunq. videt sub Sole caducum,
Quidquid opum tellus ambitiosa colit.
Et furijs impulsus amantibus, haurit amando
Athereos sensus, aethereasq. faces,
Est specus extremis seiunctum maenibus vrbis,
Quà Minoressa suos fiore coronat agros.
Huc Loioliaden casus tulit. horret acutis
Sentibus, & spissis dumea sylua rubis.
Rupe sub exesa scopulis pendentibus antrum
Subditur, occulto quà via calle patet,
Scrupeus angustum fornix curuatur in arcum,
Pressaq. subducta cornua fronte leuat.
Stant ederae circum molles, nexaeq. corymbis
Intexunt geminum fronde virente latus.
Anguibus, & saeuis domus opportuna leaenis,
Pastorum timido non adeunda gregi.
Hanc Loiola souet penetrali sede receptus,
Et rigido fultus mollia membra toro.
Hic iuuat arcanos cordis vulgare dolores,
Scilicet & fletu noxia facta queri.

N 5 O quid

O quid amor tacito sub pectore voluit! vt imbres
Eliquat! vt dura cuspide corda ferit!
Antra, refert, gelida antra, meis sat cōmoda votis,
Tuq. mihi puro gratior vmbra die,
Accipite hos gemitus, & nostri flumina fletus,
Flumina quæ mæstus voluit amara dolor.
In liquidos iubet ire dolor mea pectora fontes,
Pectora, me miserum! tot malè sana modis.
Nā mihi quid præter lacrymas, bone Diue, reliqui,
Edidici leges cum violare tuas?
Ite meæ plenos lacrymæ deuoluite riuos,
Flebilis assiduas vrgeat humor aquas.
Forsitan hæc inter salientis flumina fletus
Inueniet portus naufraga cymba suos.
Naufraga nam sæuis bellorum victa procellis
Purpureum fusi sanguinis æquor arat. (Martis
Hei mihi quot scopulos, quot habet discrimina
Pontus! vt infidis æstuat vnda fretis!
Hic famæ syrtes, & honoris vasta Charybdis,
Cogit in abruptum cordis abire ratem.
Non Maleæ fluctus, non Acroceraunia desunt.
Cærula sanguineis non agitata vadis.
Ambitio ciet hic rabidas vesana procellas,
Et tumidis implet vela minora Notis.
Cædis inexhaustos animus malè temperat æstus,
Et stimulat rabidos Scylla proterua canes.
Blandiloquæ Sirenes eunt, & fallere doctæ
Illecebra mentes decipiente tenent.
Quin et fæda Venus, dura inter prælia Martis
Ludit, & Idalios miscet multa dolos.
Illa quidem pelagi de spumis orta cruentis,

Spumea nunc etiam stagna cruoris amat.
Me miserũ! maris hanc faciem tolerare fremẽtis?
Hoc potui fragili currere puppe salum?
Quid mirum si me cæcæ rapuere procellæ!
Si mea susceptis cymba fatiscit aquis!
Non poterant tutos apprehendere lintea portus,
Tam procul à portu, Diue repulsa tuo.
Errabam sine te, mea lux in gurgite vasto,
Vna meum Martis stella regebat iter.
O iter infandum, geminum quo funus aditur,
Quoq. iacet corpus, quoq. sepulta salus.
In furias, cædesq. miser raptabar iniquas,
Victaq. diuini fræna timoris erant.
Naufragus hàc illàc, cæci nunc præda furoris,
Præda parum casti nunc & amoris eram,
Qualis in ancipiti ventorum turbine puppis,
Quà mare, quà cælum, quà vocat Auster abit.
Et spiro, & viuo post tot discrimina mortis,
Vulnera post vitæ tot miseranda meæ?
Ah quoties ego te, superum pulcherrime, læsi!
Te læsi quoties, & tua iura Fides!
Inuisus superisq. miser, superumq. potenti
Impleui furijs regna paterna meis.
Heu quid eram cum tela pium sparsura cruorem
Vibrabam valida sanguinolenta manu!
Qualis eram. cum cædis amans, & stragis acerbæ,
Armabam rigido ferreus ense latus!
Scilicet & pugnas, & aperta pericla subibam,
Cingeret vt nostrum laurea fluxa caput.
Laurea feralis duras quæsita per artes,
Hei mihi quam multis flebilis arbor eris!

Quanta tuo ſurgunt de duro vulnera trunco!
  Quanta tuum mortis germina, germen habet!
Arduus armatos incurrit miles in hoſtes,
  Vt nectat rigidæ laurea ſerta comæ,
Ah miſer, & quanto ſtat laurea ſanguine! cæſis
  Millibus; hãc vinctum vix caput vnus habet.
Et tu palma nocẽs riguum propè nata cruorem,
  Quam malè fallaci pectora fronde rapis!
Tùne meam duxti per mille pericula vitam?
  Tùne meas vrges ad fera bella manus?
Ah ego quid vano palmæ ſuccenſus amore
  Inſtitui cædes, caſtraq. dira ſequi!
Nonne fuit ſatius cælo parere vocanti,
  Et mores animi perdomuiſſe feros;
Quam funeſta ſequi perituræ præmia plantæ?
  Plantæ, quæ noſtris germinat vna malis.
Heu quot ferales parit vnica palma cupreſſus?
  Hei mihi ſub viridi quot mala fronde latent!
Sanguineo pota leues conſurgit palma per auras,
  Sanguine tollit fonte rigata caput.
Illam cædis amans manibus prætendit Enyo,
  Et furijs Mauors imbuit ipſe ſuis.
Hanc tamen infelix voto dum ſector inani,
  Penè tuum perdo, palma ſuperna, decus.
Gloria me vanis rapuit mentita figuris,
  Famaq. mendaci traxit auara ſono.
Ah nimium fallax armorum gloria nomen,
  Ah leuior, rapidis bellica fama Notis.
Nunc ego diuino perfuſus lumine mentem
  Agnoſco ſtructos in mea damna dolos.
Parcite cæleſtes, portumque parate petenti,

Aethe-

Aetherei dudum littoris exul agor.
Occule te cæcis vltrò Loiola latebris;
Et latebras portus instar habere puta.
Quid cæli faciem, quid aperta serena requiris,
Ah nimium vitijs nunc tenebrosa tuis?
Has inter latebras, sedes has inter opacas
Disce miser noctes ducere, disce dies.
Et meritò quoniam mores in corde proteruos
Clausisti, clausus deuia tecta colis.
Polluit aspectus cælum tuus, effuge cælum;
Et puro vacuos exige sole dies.
O vtinam mea ne tenebras quoq. noctis opacæ
Inficiat maculis sordida vita suis.
Plus palloris habent mea crimina, quam tua cælū
Nubila: te noctis, me necis vmbra tegit.
Fundite deciduos mea lumina fundite rores,
Quis scit an hæc nostrum diluat vnda nefas?
Infelix quam certa malo data præda furori
Occideram, casus ni mihi vita foret!
Pugnabam dubio quærens certamine palmam,
Qua Pamplona suum mittit in astra caput;
Aura leuis famæ mea vela vocabat in altùm,
Et tacitus laudis pectus agebat amor.
Cum subitò muris violentior ingruit hostis,
Et stricto rapidus præualet ense furor.
Cedimus: euersam rabies bacchantur in vrbem.
Non sacra, non ædes, non fora strage vacant.
Arx erat. ascendo paucis comitantibus arcem,
Illa diu nostro tuta labore fuit.
Ecce fremit circum rauco Bellona tumultu,
Et caua dant missas ire metalla pilas.

In-

Intremuere suis emotæ sedibus vrbes,
Pulsaq. terrificos tecta dedere sonos.
Murus erat, quatitur repetito verbere murus;
Et mea sub duro fragmine crura labant.
Felices ictus, qui me strauistis inultum,
Quæq. meum perdis robur amica manus.
Abstrahor hinc, animoq. iacens, & viribus æger,
Excipior castris, gallica turba, tuis.
Decumbo. tua me pietas, vigor alme, fouebat,
Me tuus in portum sponte vocabat Amor.
Nox erat, & noctis crudescens frigore vulnus,
Altius infixa membra premebat atu.
Nulla Machaoniæ prosunt medicamina dextræ,
Nulla salutarem cura ministrat opem.
Vita fugax summis hærens immortua labris
Festinat gelidi funeris ire vias.
Cum mihi peruigili noctem languore trahenti
Ante oculos superæ clauiger arcis adest.
Errant effusi per eburnea colla capilli,
Et sacer in nitido purpurat ore decor.
Læua regit rutilas adamantina pondera claues,
Vnde patent diæ vecte rigente fores,
Dextera cælesti permixtos nectare succos,
Sustinet, & medica pocula fusa manu.
Ille meos dictis sensus permulcet amicis,
Et reddit placido talia verba sono.
Surge toro, Loiola, salus tibi venit ab astris,
Aurea diuino munere missa salus.
Surge. diu lento deiectus membra cubili
Aethereo stratum calle moraris iter.
Dixit, & æterno sparsit medicamine corpus.

Vita

Vita redit, morbi vis inimica fugit.
Erigor, & tacito mutatus Numine pectus
Calle nouo superas molior ire vias.
Quò tua me quò iussa vocant, Sanctissime, velox
Insequor, ò cymbæ dirige vela meæ.
Iamdudum sæui iactatus turbine Martis,
Aequora purpurea cæde cruenta seco.
Pœnitet heu furiæ, malesanæ pœnitet iræ.
Ite procul raucæ martia signa tubæ.
Quid mihi cum lituis? quid cum Balearide funda?
Quid tibi cum dextra missilis hasta mea?
Ah valeant ensesq. truces, cristæq. comantes,
Nataq. sanguineam spicula ferre necem.
Ergo ego pugnaci toties corruptus ab oestro
Innocua didici spargere cæde solum?
Illum, Diue, truci fundebam clade cruorem,
Quem tuus incolumem iusserat esse cruor.
Perdebam quos tu quondam necis vltor acerbæ
Vitalem dederas ducere posse diem.
Cur mihi tunc cæli missum de sede pepercit
Fulmen, & irato, sæua procella Noto?
Proh superi quantum mecum feritatis obisset,
Isset in obscurum si mea vita chaos?
Dextera crudelis toties respersa cruentis
Cædibus, & fuso sanguine facta nocens.
Exige nunc meritas nostro de corpore pœnas:
In me nunc artes experiere tuas.
Incipe. quid dubitas validis proscindere loris,
Pectus, & intorto cædere fune latus,
Incute vim flagris, geminataq. verbera iacta,
Fac mea sub duro pondere membra gemant.

I cruor,

I cruor, i riuis effunde capacibus amnem,
Hic etiam rubro spumet Erythra lacu.
Nostra fluenta pient alieni damna cruoris,
Quam benè pro fuso sanguine sanguis abit!
Me miserum! nunquã sparsos æquabimus amnes,
Parcior ad pænas nunc cruor vnus erit?
Sed tamen hoc quodcunq. meo sub corde latescit
Sanguinis, in plenos defluat omne lacus.
Tu bone tu propior nostris allabere cæptis,
Tu sordes animi dilue, Diue, mei.
Certum est in latebris syluarum, antrisq. repostis
Impuram cordis velle piare luem,
Luctibus, & riguo lacrymarum flumine pascar,
Vnda famem nobis pellet, & vnda sitim.
Vnda cadens oculis singultibus interruptis,
Vnda per humentes currere docta genas.
Vrbibus, & tectis alij teneantur auitis,
Mi stabula in specubus suffice sylua tuis.
Alter Orontæa perfundat tempora myrrha,
Perfundat roseus mi mea membra cruor.
Diuitijs alius, plenoq. incumbat aceruo,
Pauperies nostræ sortis aceruus erit.
Hic palmas, clarosq. petat per bella triumphos,
Palma triumphatæ me Stygis vna rapit.
Ille Cupidineos sectetur lentus amores.
Dum mea diuinus corda perurat amor.
Omnia sunt tentanda mihi, quò Numina placem,
Quò scelerum sordes, & malè facta luam.
Seu mare sulcandum, seu sit tellure vagandum;
Sulcabo terras, & maris alta vagus.
Siue sit in syluis gelida sub caute latendum

Iam

Iam mihi syluarum deuia lustra placent.
Siue sit in ferrum pro Relligione ruendum,
In ferrum iam pro Relligione ruam. (abdar,
Seu me claustra petunt, claustris penetralibus
Publica seu poscunt, publica fata sequar.
Stat rigidas superare vices, & acerba malorum,
Et couiuratas in mea damna neces.
Vrgebo Stygium latè ferus hostis Auernum,
Auspice me nunquam tutus Auernus erit;
Seu comites dant astra, ruâ comitatus in hostes;
Seu poscor solus, solus in arma ferar.
Diue potens Erebi, validas in prælia turmas
Instrue: te robur, te mea dextra petit.
Adsis Cælicolum tantum pater, & bona Virgo;
Virgo cui vitæ stant rata fila meæ:
Quam mea mens vnam plena veneratur acerra;
Tu bona, tu nostræ sis Cynosura viæ.
Ante tuos, mea Diua, pedes aduolor obortis
Fletibus, & gemitu supplice vota fero.
Effice ne spectris deludar inanibus olim,
Neu mea mens vllo turbine victa cadat.
Interea dum, Diua, tui mihi sideris astrum
Fulgeat, & recto tramite signet iter,
Hic ego deserta noxas sub rupe piabo,
Area supplicijs hæc erit apta meis.
Dixit, & obscurum penitus recessit in antrum;
Certus Apollineam nolle videre facem.
Et modò sanguineis exercet corpora loris,
Et modo deciduo lumina fonte rigat.
Sanguis abit venis, decurrit fletus ocellis;
Confundunt tepidos sanguis, & vnda lacus

Ah

Ah quoties pigræ dum currunt tempora noctis
Ille gemit! gemitus sidera mæsta bibunt.
Ah quoties lætæ redeunt dum tempora lucis
Nocte magis nigra lux tenebrosa redit!
Seu celer eoo consurgit Phœbus ab ortu,
Seu piger occiduo mergit in amne caput,
Flet lacrymans, non ille faces, non aspicit vmbras,
Vrit inexhaustus tristia corda dolor.
Semper amor venis, semper dolor ossibus hæret,
Ille suum figit vulnus, & ille suum.
Quale sub annosa mærens Philomela cupressu
Admissum querulo congemit ore nefas.
Iam vires animum, iam pectus robora linquunt,
Vita sub assiduis iam labat icta malis.
O vbi nunc ferus ille truces bellator in hostes!
O vbi pugnacis tela cruenta manus!
Et triplici quondam vallatum robore pectus,
Et mens haud vllis cedere nata minis.
Ecce iacet gelido stratus Loiola sub antro
Horrida deformi pallidus ora situ.
Non coma, non facies, priscum nō mēbra vigorē,
Non retinet vultus mæsta figura suos.
Mens tamen æthereas spatiatur læta per auras,
Callida sidereas ire, redire vias.
Illic ambrosios diuini nectaris haustus
Ebibit, & multo nectare corda beat.
O quas delicias amor! o quæ flumina versat!
O quas Loiolæ subdit in ossa faces.
Ardet amans, fruiturq. Deus, Deus vrit amantem,
Plenius, & tacito pascitur igne sinus.
Liquitur vt facilis correptis tæda fauillis,

Aut qualis tepido tacta pruina Noto.
Pectora mollescunt, animus formatur ad vsus
Aethereos, dius corda perurit Amor.
Omne patet cælum, series patet abdita rerum
Omnis, & arcanis symbola clausa notis.
Miratur Loiola tuens simulacra futuræ
Sortis, & attonito gaudia corde trahit.
Ecce videt latè numerosam surgere prolem,
Et duce se superas corripuisse vias.
Terra iacet contrà, vastis se finibus orbis
Pandit, & obiectis littora claudit aquis;
Hic acies, cætusq. videt sua signa secutos,
Reddere diuinis annua sacra focis.
Conueniunt Loiolææ per templa cohortes
Agmina sidereos visa referre choros.
Conueniunt, animisq. nouos spirantibus ignes
Aurea votiuo munere dona ferunt.
Dona quibus spretum bellum iuratur in aurum,
Et quibus infidæ despiciuntur opes.
Dona quibus thalami damnatur tæda iugalis
Et Cypris ad Stygias pellitur exul aquas.
Et quibus imperijs alienis ducta voluntas
Se penes arbitrium non finit esse sui.
Omnia quæ Loiola tuens sub pectore condit
Altius, & soboli digerit inde suæ.
Sed quò Musa ruis? quò te cælestibus infers
Sedibus? audacem siste proterua pedem.
Non ea vis animo nec tanta superbia nostro
Reddere mortali carmina dia sono.
Hæc alij referant, quos grandior vrget Apollo,
Quos iuuat heroa carmen hiare tuba.

Mi sat erit Minoressa tuæ cecinisse recessus
 Rupis, & auditos per caua saxa modos.
Non tamē hæc certa fuerint sine laude; nec olim
 Muta suburbanæ gloria rupis erit.
Si quid forte meas fas est sperare Camænas,
 Si non inuito soluimus ora Deo,
Fortunata tuis nimium spelunca latebris,
 Et Loiolæa saxa beata mora.
Nulla dies memori vos eximet inuida seclo;
 Posteritas vestrum non premet vlla decus.
Donec erunt syluæ, nemorumq. per auia passim
 Abscondet catulos torua leæna suos
Sēper honos, vester semper celebrabitur horror,
 Ignatiq. sacro tincta cruore silex.
Aspiret nostro tantum fortuna labori,
 Nec cadat ante suum lassa Thalia diem.
Sed capiti, Loiola, meo iam necte corymbos
 Absoluit numeros lenta Camæna suos.

DE D. IGNATIO

Noctu sidera contemplante.

ELEGIA XII.

Forte diē Titan medijs abscōderat vndis
 Et nox sidereos egerat alta choros,
Cum vigil æternos oculis Ignatius ignes,
 Haurit, & ardores ima per ossa trahit.


Totus

Totus inardeſcit radijs, totuſq. fauillis
Igneus, immota lumina fronte leuat.
Ambigeres, raperetne polo Loiola nitores,
An daret? accenſo ſic iacit ore faces.
Vnus honor, nitor vnus, & vnus pectoris ardor
Sideris hic, huius ſidera lumen habent.
Aſtra vel ad ſuperos illum raptura videntur;
Ille vel è ſuperis aſtra refixa plagis.
Quin etiam pluuijs lacrymas euoluit ocellis;
Et liquido ſenſim lumina fonte rigat:
Non tamen ad lacrymas oculorum viuidus ignis
Occidit; in medio ſed magis imbre flagrat.
Interdum Geminos, interdum ſuſpicit Arctos,
Nunc Hyadas, rutilum nunc videt ille Canem.
Et videt, & toto tabeſcit corde videndo,
Dum nimium cordi viſa theatra placent.
Siue Cleonæum cernit ſplendeſcere ſidus;
Certa Cleonæum gaudia ſidus habet.
Seu radiantem auro proſpéctat Orionis enſém;
Illius aurato ſaucius enſe gemit.
Seu ſtellata videt voluentem plauſtra Bootem,
His ferri plauſtris ſe ſuper aſtra cupit.
Ignea ſeu Martis, ſeu Cypridis aſtra tuetur.
Aſtrorum damnat nomina, lumen amat.
Deniq. ſidereis quicumq. niteſcit in oris
Ignis, in Ignati pectore regna tenet.
Ille vbi conceptos animo cohibere calores
Non pote, ſic cordis digerit ore faces,
Ignes, ardentes ignes, oculata propago
Noctis, & æthereæ pompa ſerena plagæ:
Quam formoſa meis ſpectacla paratis ocellis!

Quam nitidus vestro fulget ab ore nitor!
Cedite sidereis mortales, cedite formæ,
Par superis tellus non habet ima decus.
Ne mihi, ne gemmas cæli conferte pyropis:
Vile nites, adamas; vile, smaragde nites.
Sordet odoratis redimitus floribus hortus,
Pictus vbi rutilo sidere vernat ager.
Nec nitet argentum, nec Eoum fulgurat aurum,
Aureus in cælo dum notat astra color.
Sideris vnius formosius emicat ignis,
Ignea quam toto dona petita mari.
O facis æternæ simulacrum nobile flammae,
In quibus omnipotens mollè triumphat amor.
Vos mihi cælestes callem signatis ad oras,
Lumine mi vestro Regia dia patet.
Ad vos saepe redux mea mens deuota recurrit:
Fertur vt ad metas feruida biga suas.
Vna mihi vestri tenuis scintilla nitoris
Ambrosiae sensim flumina mille liquat.
Nil mihi, nil sapiunt mortalia pocula, postquam
Siderei didici sugere mellis opes.
Vbera nectarei sunt sidera faeta liquoris
Scilicet humanam nata leuare famem.
Qui semel hos succos animis inhiantibus hausit,
Non potis est alias concupijsse dapes.
O vtinam circum mea pectora pluma niteret,
Vt possem superas ire, redire vias.
Nō me ferret amor trans Ismara, transq. colūnas
Herculeas, nullo quà mare fine patet.
Hærerem vestris vltrò, rutila astra fauillis,
Spectator nitidae tempus in omne facis.

Nec

Nec quererer nimius quod pennas vreret ardor,
Laederet aut vultus flamma propinqua meos.
Scilicet in vestra sortiri luce sepulcrum
Clarius est, nullam quam subijsse necem;
Felices quibus aetherias volitare per auras
Fas est, & superas incoluisse plagas:
Illis perpetuò vestros haurire decores,
Et datur aeterno pellere fonte sitim.
Mi saepe occurrens vestrum decus inuida nubes
Occulit, aut solis flamma diurna rapit:
Sed rapiat, vos saepe animo, saepe ore requirã;
Et quae non possum lumine mente sequar.
Atque vtinam liceat vitalem abrumpere vitam,
Vt vos nulla oculis subtrahat vmbra meis.
Quid mihi cum terris? cælestia regna petamus
O anime: inuisas ne trahe vita moras.
Talia per noctis geminat Loiola tenebras;
Cum videt inuisam iam rubuisse diem.



DE EODEM GELIDO

In stagno immerso.

ELEGIA XIII.

RIgus erat, riget herba gelu, riget horrida passim
Per campos glacies, & freta versat hyems.
Protinus algentem medius Loiola paludem
Occupat, accensus frigora nescit Amor:
Frigora nescit Amor: nudis ceruicibus extant
Colla; tegit rigidus cetera membra latex.
Non tamen Ignati cælestes obruit ignes
Humor, ab illius sed magis igne calet.
Quid non suadet Amor? per amica silentia Lunæ
Hàc iter ad scortum turpis amator habet.
Hunc neq. blanditijs olim Loiola proteruum,
Nec potuit grauibus corripuisse minis:
Obstat amor malesuadus, & imo in pectore morbus
Subsidens, quo non sæuior alter erat.
Ergò intentatum ne quid Loiola relinquat,
Hic vltrò gelidis corpora mergit aquis.
Atq. vbi tendentem videt ad sua furta per vmbras
Nocturnas iuuenem; talia verba refert.
Quò furijs agitate ruis: quò percite taeda
Tartarea, properas in tua damna gradum?
Ah

Ah miser, ah Cyprijs raperis data victima flāmis,
Ah quam triste parat Cypria flamma malum.
Cypria flamma malum miseris mortalibus affert
Exitium, gignit Cypria flamma necem.
Siste pedem ruis in certum malè caute periclum:
Non tibi tuta parat littora faeda Venus.
Dux est caecus amor, caeco ductore per vmbras
Incedis? scopulos, & freta caeca time.
Stella Dioneae nulli bene fida fauillae
Infausto semper sidere signat iter:
Quò magis arridet fallax in amore Cupido:
Hoc magis occultos instruit ille dolos.
Non tot ferali miniatur crine cometes
Funera, quot Veneris stella cruenta parat.
Sanguineo Cytherea freto sata, sanguine gaudet
Scilicet, & morti Martis amica fauet.
In medijs mouet arma ioci, nō blanda voluptas
Fraude, nec insidijs oscula cara vacant.
Infelix potes hanc imis abscondere fibris?
Hanc miser in gremio continuisse potes?
Ah quam dira tuas exurit flamma medullas!
Quam malus heu latebras pectoris ignis habet!
Mitius Enceladum Siculis fornacibus ignis
Vrit, inextinctis quà tonat Aetna focis.
Mitius aetherea vibratum fulmen ab ora
Protinus arcanis deuorat ossa nodis.
Tu caue. mox Stygijs ibis data præda caminis
Ni Cypriam puro supprimis amne facem.
Siste pedem, desiste tuam celerare ruinam,
Ah miser, ah facilem mox habiture Deum.
Aspice me cui membra gelu concreta rigenti

In liquidas abeunt penè soluta niues.
Ardores hæc vnda tuos extinguat, & omnem
Obruat, accendit quam Cytherea facem.
Occidat hic tumulata Venus. Venus edita quōdā
Inter aquas, inter victa recumbat aquas:
O quam dulce mihi gelidis habitare sub vadis
Semper erit, Veneris si premat vnda facem.
Si glacie tua flamma mea restincta tepescet,
O glacies votis officiosa meis.
Si nostro tua corda gelu frigescere discent
O rutilo Solis clarius igne gelu.
Pone truces animos miser, & compesce furentē
Ardorem, qui te Ditis ad ima trahit.
Hoc vnum de te niuibus sperare sub istis
Sit mihi fas, ingens hoc mihi munus erit.
O mea mors optanda mihi, si mortuus olim
Narrabor vitæ consuluisse tuæ.
Certum est hic inter gelidarum frigus aquarum
Velle diu longas continuare moras.
Sospite te medijs emergam sospes ab vndis.
Si properas lethum quærere, condar aquis.
Mène pruinoso concretum frigore corpus
Hos inter latices perpetiare mori?
Qui tibi perpetuam super aurea sidera vitam
Exopto, dextrum qui tibi Numen amo?
Parce mihi, tibi parce, tuæ miserere iuuentæ;
Impleat ætatem prima iuuenta suam.
Hæc medijs Loiola vadis innoxia siren
Concinit; & portum naufraga cymba tenet.

DE D. FRANCISCO XAVERIO

Aethiopem humeris se sustinere somniante.


ELEGIA XIV.

VEra fides: non semper inest leuis vmbra sopori:
Sæpe etiam veri semina somnus habet.
Saberius placido dederat languentia somno
Membra: rigat sensim lumina fessa quies.
Alma quies, quæ dum geminas in vertice claudit,
In medio reserat pectore mille faces.
Quis neget esse suos animo dum dormit ocellos?
Saberius somno languidus Argus erat.
Ecce videt toruæ simulacrum triste figuræ,
Insultans humeris incubuisse suis.
Hei mihi quæ facies! diræ quæ frontis imago!
Vt niger infecit lurida membra cruor!
Illuuies tegit informi ferrugine vultus,
Et coma vipereis crinibus hirta riget.
Labra tument, membrisq. patent ingentibus artus,
Et macies fuscas occupat atra genas.

Tales Aethiopum calido ſub ſidere formas
  Aſſiduo tellus Sole peruſta parit.
Talis Atlas quondam vaſta ſe mole ferebat
  Suſtinuit cæli cum radiantis onus.
Hic tamen haud cælum mentitus ſuſtinet Atlas,
  Saberius ſed Atlas verus Atlantis erat.
Sic ſpectrum ferale humeros, ſic terga iacentis,
  Et colli nitidum ſponte fatigat ebur.
Ingemit extemplò preſſis ceruicibus heros,
  Victaq. ferali pondere membra labant.
Et fortaſſe grauans onus excuſſiſſe laboret,
  Ni bibat hos tacita protinus aure ſonos.
Quid vanos, Franciſce, metus tibi fingis, & vltrò
  Subtrahis impoſito debita colla iugo?
Ne me rere immane, ingens, inamabile ſaxum,
  Quod grauat Aeolij languida terga ſenis.
Neu mõſtrum ab Stygijs immiſſum triſte lacunis,
  Aut laruam obſcura nocte parente ſatam:
India ſum (ſi forte tuas peruenit ad aures
  India longinquo diſſita terra ſolo.)
India, proh facinus! radijs quam diues Eois,
  Tam radijs veræ Relligionis inops.
Quid mihi vicini fax proficit aurea Solis,
  Si Sol è noſtro littore dius abeſt?
Longius à nobis vtinam Sol alter abiret,
  Vt propius noſtros viſeret alter agros.
Me gemini pariter Soles fecere nigrantem:
  Hic quia ſemper adeſt: hic quia ſemper abeſt.
Sol dius nunquam noſtris effulget in oris,
  Et mea perpetuo ſyrmate corda tegit.
Phœbæus noſtro nunquam de littore cedit,

Et nimio fuscat torridus igne genas;
Quis credat multa i asci de luce tenebras?
Palloremq. meum luminis esse genus?
Sed tamen hic ater nigræ caliginis horror,
Naturæ pretium, quo toleretur, habet.
Obscurum nimia Solis de luce videri
Expertes tenebrarum est habuisse dies:
At nunquam veri radios cognoscere Solis,
Hei mihi quam sæui funeris instar habet?
Hæc me diuini tangit iactura nitoris:
Hæc tacita fixum cuspide pectus agit.
In tenebris mens ægra suis tabescit, & inter
Tot Solis radios lumina nulla videt.
Lumina nulla videt diæ prænuncia lucis?
Aeternam valeant quæ reparare diem.
Versor in horrenda mentis caligine, nec mi
Romuleo clarus surgit ab axe nitor.
Nullus ab æthereo fulgor delapsus Olympo
Exerit optatas in mea vota faces.
Exulat Eois pietas regionibus absens;
Diaq. Memnonio pellitur orbe Fides.
Eumenidum fera turba suis mea regna chelydris
Obsidet, & Stygios versat inulta dolos.
Me miseram! caros mea dulcia viscera natos
Matris ab vberibus sæua Magæra rapit.
Illa meas dispergit opes, mea pignora passim
Dissipat, & multa cæde cruentat humum.
Heu pietas! nullúsne meo de germine fætus
Inter sidereos luxuriabit agros?
Solâne terrarum pars India, nesciet olim
Debita diuinis ferre tributa focis?

Vſq. adeòne meum vile eſt caput, omnis vt Orco
Deditus in pœnam barbarus orbis eat?
Nullane fax cæli, primos afflabit Eoos?
Nulla Themis noſtri littoris hoſpes erit?
Ah precor ah tantorum vltrò miſerere malorum,
Franciſce, Heſperij lucida flamma poli.
Infer Hydaſpæis cæleſtia lumina terris
Lumina quæ diæ ſemina meſſis habent.
Te manet iſte labor, tibi muneris huius Olympus
Auctor, at huc, Oriens ò orientis ades.
India te ſupplex, vaſtus te poſcit Iāpon;
Te Garamas, tellus te Nabathæa vocat.
Ablue me fœdam luſtralibus ablue lymphis,
Et nitido terram dilue fonte luem.
Aſpicis vt multo ſordeſco lurida cæno,
O ego Tartareæ concolor ora pici!
Redde diem Franciſce, meum mihi redde nitorē,
Et Stygium pulſa diſcute nocte chaos.
Te veniente ſacro fulgore micabit Eous;
Tuq. mei primus Lucifer orbis eris.
Talia per tenebras haurit Franciſcus inertes:
Somnia, quæ tenebris inuidet ipſa dies.



DE

DE DIVO FRANCISCO XAVERIO

Cancri opera amiſſam crucifixi effigiem recuperante.

ELEGIA XV.

IAM maris inſani tumidas compreſſerat iras
Stipitis arborei robore fixus Amor:
Dius Amor, decus omne tuũ, Franciſce, tuũ mel,
  Et tua tot pelagi per freta, certa ſalus.
Cum ſubitò laqueis nullo cogente ſolutis,
  In media dulcis præda refluxit aqua.
Agnouere Deum fluctus, & murmure feſto
  Plauſerunt Domino ſquamea turba ſuo.
Riſerunt freta læta, nouo ſub gurgite paſsim:
  Riſerunt agiles flamina cæca Noti.
Iam neq. Neptunus regit æquora; iam neq. Phorci
  Progenies ſalſo dat ſua iura mari.
Abſceſſere vadis Nereïdes, & ſua Doris
  Stagna fugit. nullus marmora Glaucus habet.
Regia Neptuni quondam, nunc audit Amoris
  Regia: nam gelidas temperat ignis aquas.

Dius Amor pelagi placidis dominatur in vndis;
Mutauit cælo cærula dius Amor.
Iam diuina truces norunt incendia Phocæ,
Aestuat in medijs squamea turba fretis.
Et suus est vndis, suus est & piscibus ardor,
Ardoris locus est, qui modò roris erat.
Interea sola secum lacrymatur in acta
Saberius multo profluus imbre genas.
Flet miser heu caro nudatumq; pignore collum,
Pignore, quo tantum sospite tutus erat.
Heu quò diuersas properem desertus in oras,
Si meus in media dux iacet, inquit, aqua?
Quò sine luce ferar?sine sidere quò vocer amens?
Quò mea nunc Helice? quò Cynosura abijt?
Nec tutum est vltrà nullo ductore vagari:
Nec vacat amisso posse redire Deo.
Hic in littorea mærens tumulabor arena:
Hæc mihi nunc vrnam flebilis vnda dabit.
Diue, iaces, maris inter aquas sortite sepulcrum,
Cui mare sanguineum debuit esse satis.
In medio vitam fudisti sanguine quondam,
In media tumulum nunc tibi quæris aqua;
Ah si tanta tenet pelagi te, Diue, voluptas,
In pelago lacrymarum obruere vsq. meo.
Ipse vides quantis mea lumina fletibus vndant!
Quantus & ex oculis labitur Oceanus!
Oceano potes hoc dium submergere corpus,
Vndarumq. grauem fonte leuare sitim;
Fortunata nimis nascenti cognita Soli
Cærula, diuitijs facta beata meis.
Vos cæli, terræq. decus sub gurgite vasto
Con-

Conditis, Eoas ſtat Deus inter aquas.
Quid fucáta iuuat celebrare coralliapoſthac,
Aut gemmas rubri vilia dona maris?
Vnus amor meus, vnus honor ſtellantis Olympi,
Aequora Matutæ nobiliora facit.
Si quis ab illius ſtillabit vulnere ſanguis,
Imbuiet æquoreas pulchrior vnus opes.
Hic Erythræa vadis luctabitur vnda cruentis,
Tinget vbi Domini ſtagna marina cruor,
Felix ò nimium piſcator, ſidere dextro
Quiſquis in hoc iacies retia curua mari:
Si liceat fundo piſcari Numen ab imo,
Et Dominum nexis implicuiſſe plagis:
Nulli præda poteſt maior contingere: Numen
Qui capiet, capto Numine Numen erit.
Ah me quale bonum fugit! quam nobile pignus!
Heu quantum rapuit mobilis vnda decus!
Vnda rapax prædata meum ſine more parentem
Ah pereas prædæ facta miniſtra nouæ.
Quis te, quis docuit prædandi Numinis artem?
Non decuit prædam gurgitis eſſe Deum.
Cærula diuitias hominum furentur, & aurum,
Furentur fractæ cærula puppis opes.
Corda Deum furentur, Amor ſit pectoris vnus
Omnipotens, Numen reddite ſtagna meum:
Non decet in pelago Numen cæleſte morari:
Monſtra natent pelago, ſtet ſuper aſtra Deus.
Quid loquor heu? noſtrũ nõ eſt reparabile dãnũ:
Nec bibit humanas ſurdior vnda preces.
Iam pelagus meus vrit Amor, iam frigida paſsim
Cærula diuinam corripuere facem.

Iam circum dium ludunt Delphines Amorem,
Et ducunt facili molliter arte choros.
Iam fluctus, iam pontus amat, iam gurges aquarū
Flammarum calidos mittit ad astra globos.
Prædari norunt vndæ, non reddere prædam.
Vilia despumat, non pretiosa fretum,
Ergo anime hic tabesce. mori iuuat hic, vbi vitæ
Auctor in ignota contumulatur aqua.
Si nequeo viuus, rerum te magne, potiri,
Forsitan extinctos conteget vrna duos.
Quis scit an exundans nostrū maris vnda cadauer
Auferat, & Domino iungat amica meo?
Atq. ò fortunata nimis mea funera, tecum
Si medio iungar, naufraga vita, salo.
Quidquid erit, modò, Diue, tibi coniugar amanti,
Aeterni pretium grande laboris erit.
Talia Saberius deserto in littore solus
Integrat, & salsis fluctibus auget aquas.
Cum procul erecto sublimem vertice Cancrum
Turbinis in morem nare per alta videt.
It noua cymba, maris latè mirantibus vndis,
Quam salis effusi curua theatra patent.
Incumbit pelago membrorum parte reducta,
Parte premit fluctus, parte repellit aquas;
Parte sui remos, mentitur parte carinam:
Antemnam faciles exhibuere pedes,
Brachia roboreo suffixum stipite Numen
E medio raptum gurgite celsa leuant;
Numen, io, Francisce, tuum tibi præda per vndas
Nauigat, optatas fert tibi Cancer opes.
Excipe; iam prono submittit corpore chelas.

Iam

Iam toto vectum gurgite præbet onus.
O nunquam pelagi, Cancer periture sub vndis,
O memori semper concelebrande tuba.
Te simul Hesperius colet, & diuisus Eous,
Te mea perpetuò Calliopea canet.
Atq. vtinam stellis adscribi bellua possit:
Solus stellarum gloria Cancer eris.

AD B. ALOYSIVM GONZAGAM

Ticino in fluuio periclitantem.

ELEGIA XVI.

AH quoties dixi fluuios, Gonzaga, caueto:
Non vlli fidas præbuit vnda vias.
Vnda, nefas, iterare vices assueta malignas,
Iuratam quamuis frangit inulta fidem.
Nunc humilis ripas pacato gurgite radit,
Nunc maior tumidis fluctibus astra rigat.
Interdum remos, interdum robora frangit,
Sæpe rates mergit perfida, sæpe rotas.
Infelix Phaëthon currus auriga paterni,

Eridani liquidas concidit inter aquas;
Huic pater inuitus rutilas permisit habenas,
Certus in auctoris dona petita necem.
Sæpe minis natum studuit cohibere feueris;
Sed patriæ pondus non habuere minæ.
Ille sedens clauo flammantia lora ministrat
Arduus, & celeres nescius vrget equos;
Olli abeunt, iam iamq. solo propiore feruntur,
Et calido flammas latius ore vomunt.
Nunc huc, nunc illuc spatijs rapiuntur apertis,
Iam medio carpunt altius orbe viam.
Sparguntur totis incendia fumea terris,
Et subit ad cæli nubilus astra vapor.
Arescunt molles imis in vallibus herbæ,
Arescunt celsis robora celsa iugis.
Vruntur montes, cognataq. culmina cælo;
Vruntur viles per caua lustra casæ.
Vndiq. laxatis stridet Vulcanus habenis,
Vndiq. feralis corripit arua lues.
Frustrà præsidium cæcis fera quærit in antris,
In medio frustrà gurgite monstra latent.
Ignis edax clausæ peruadit viscera terræ,
Aestuat in medijs fluctibus ignis edax.
Ah miserande puer patris dolor, aspice quantas
Intuleris terris in tua damna faces:
Pluribus haud vlli radiarunt funera tædis,
Ardet ad exequias terra perusta tuas.
Pompa licet maior Reges post fata sequatur,
Arserunt nulli nobiliore pyra.
Et decuit mundo passim flagrante cremari
Igniuomo sobolem de genitore satam.

Dum

Dum loquor; ecce cadis contorti fulminis ictu;
Flammarumq. nefas expiat amnis aqua.
At te diuinæ seruat, Gonzaga, parentis
Cura, tuas vndis eripit illa rotas.
Dum tua Ticinus videt ora simillima Soli,
Ipse etiam Solem gestit habere suum.
Neu tumulo tantum Solis se iactet Iberus,
In patrijs optat te tumulare vadis.
Et faceret, ni Diua tui fidissima custos
Præsentem medio gurgite ferret opem.
Illa manu montes tumidarum strauit aquarum,
Et fregit rigidas imperiosa minas.
Ah quantum decus ignotis latuisset in vndis,
Si, Gonzaga, tuum merserat vnda decus!
Tu tamẽ haud poteras sub aquarũ gurgite mergi,
Nam Deus ipse tui pectoris ignis erat.
Ille vel exhaustis siccasset fluctibus amnem,
Viuere vel medijs posse dedisset aquis.



AD

AD EVNDEM

Ferreo stimulo se excruciantem.

ELEGIA XVII.

QVid teneros, Gonzaga, fodis calcaribus artus,
Et perdis rigidæ cuspidis ære latus?
Ah te ne sæui perimat vis dira doloris,
Neu teneram carpat mors inimica rosam.
Sæpe tuus violæ vultus pallore notatur;
Pectore dum medio cana ligustra feris.
Quis furor est segnē, bone Diue, lacessere mortē?
Aduolat, & pennas iam quatit illa suas.
Ille latus stimulis agitet, pectusq. cruentet,
Cui piger ad metam non bene currit equus.
Tu properas facili cæli super astra volatu,
Et superas certo tramite nubis iter.
Pegasus est diuinus Amor, pennatus in auras
Emicat, & nota fertur ad astra via,
Hoc vectus, Gonzaga, celer, stellantis Olympi
Atria nunc animo, nunc penetrale subis.
Nec tibi ferrato clauduntur limine postes,
Nec riget opposita Numinis aula sera.

Ire

Ire libet quocumq. iuuat, nunc sidera lustras,
Nunc propior Diuum regia tecta vides.
Fortunate puer, membrorum terrea moles
Cui nequit æthereas impedijsse vias.
Sed tamen iste nouus torquendi corporis ardor,
Insueti pretium grande laboris habet.
Lilia virginei pubescunt molle pudoris,
Ilia dum rigidæ cuspidis ære fodis.
Icta Venus stimulis sensim tabescit acutis,
Et gemit Idalius triste cruentus amor.
At pudibunda sacro te germina flore coronant,
Germina quæ fusus parturit alba cruor.
Credite mortales non fædat lilia sanguis,
Candida sed lactis munera sanguis habet.
Fabula sit fædæ rosa tincta cruore Diones,
Pingit Gongagæ lilia pura cruor.
Ah valeant, Cytherea tui, tua gloria, flores,
Dum Gonzaga suo flore hilarabit humum.
Si Cyprio tantum rosa sanguine picta rubescit,
Lilia si tantum sparsa cruore nitent;
Nunquam terra rosas lætis educat in hortis,
Solaq. virgineo lilia lacte micent.
Lis erat hæc olim totis celeberrima campis,
Camporum ne forent lilia primus honor.
Obstat Acidalio rosa sanguine mollis, & vno
Inferiora suo lilia flore vocat.
Altera lacte nitent, nitet altera murice diues,
Hæc ignem folijs explicat, illa niuem.
Concolor argento flos hic micat, hic micat auro,
Hic ostrum; candens ille recludit ebur.
Alter agris Solem, Lunam dat vallibus alter,

Side-

Sidereas terris reddit vterq. vices;
Pectoris accensi teneros rosa signat amores;
Lilia sunt niueam nata referre fidem,
Sed dum Gonzagæ decorabit lilia sanguis;
Nobiliora rosis lilia semper erunt.

B. STANISLAVS

Diuino amore succensus.
prosopopœia.

ELEGIA XVIII.

VRor io, date fontis aquas, date gurgitis vndas.
Quis me quis lymphis obruat: vror io.
Vror io: properate maris me mergere fluctu,
Obruar, vt flammas obruat vnda meas.
Ah ego quos æstus tolero! quibus ignibus vror!
Vror io, cohibe, dulcis amice, faces.
Mene faces tot ferre, graues tot ferre calores?
Non vis, non animi ferrea claustra valent.
Heu nimis angustum superant incendia pectus;
Vincimur. assiduo rumpitur igne latus.
Quod superest vnum, latices infundite dextra;
Cordis inexhaustos vincite fonte rogos.
Heu calor arcanas tacito vorat igne medullas,

Et

Et penitus lapsus pascitur ossa furor.
Parcite, cælestes, nequeunt tot ferre fauillas
Viscera iam nimio penè soluta rogo.
Mitius ignitis exæstuat Aetna caminis,
Dum Faber adducta verberat æra manu.
Lenius accensa feruet fornace Veseuus,
Cum piceos cæli mittit ad astra globos.
Vror io, quis me tumidos demergat in amnes?
Quis det in æquoreis delituisse fretis?
Mergite me, siqua est pietas, si funera flammæ
Dant mihi, cur tumulum gurgitis vnda neget?
Felix heu, Phaethon, si fulminis igne cremaris.
Eridani medijs contumularis aquis.
Ast ego diuinis consumptus viscera flammis,
In flammis tumulum dicar habere meis.
Heus vbi sunt tua magna pater Tyberine flueta!
O vbi Niliacis stagna refusa vadis?
Indus vbi, Rhodanusq. celer? quò cessit Araxes?
Et Tygris, & toto gurgite plenus Arar?
Quis vetat effusos in me decurrere fluctus,
Siue tuos Ganges, siue Garumna tuos.
Quin agite, & vastis fluuios miscete lacunis,
Maior vt in nostros influat vnda sinus. (dis
Quid loquor? heu nullis meus est superabilis vn-
Aestus, inextincto ducit ab igne faces.
Vramur mea vita, mori properemus amando;
Scilicet est dio dulce sub igne mori.

B.MAR.

B. MARTYR PAVLVS MICHIVS IN CARCEREM

Coniectus ad socios.

ELEGIA XIX.

Laudimur, o socij, tenebrosi carceris antro,
Sed via sidereo libera calle patet.
Condimur ærato sub vecte, sed ære recluso
Vltrò cælestes mi patuere fores.
Accipiunt pressas adamantina vincula dextras;
Sed vires animi vincula nulla domant.
Compede pes dura constringitur, ille sed inter
Cælicolas festos discit inire choros.
In nos arma fremunt, in nos crudelis Erinnys
Commouet infernos sanguinolenta Duces.
Hinc furor, hinc rabies, hinc mille pericula lethi
Circunstant nostrum, Dite fremente, latus.
Hoc melius, quam te Superum sanctissime, lædā,
Quam tua conculcem candida iura, Fides.
Obruar ante precor scissæ telluris hiatu,
Aut rapido torti fulminis igne cadam,
Alma fides, quam te violem, aut tua iura rebellis

De-

Destituam, cæli transfuga, verna Stygis.
Ille meos primus meruit qui cordis amores.
Seruet, & ad superas deferat vsq. plagas.
Stat casus superare omnes, stat acerba malorum
Ferre, nec infernas pertimuisse minas.
Quære nouos animos, noua concipe, tela Satelles,
Mille ferox agita vulnera, mille neces.
Ipse licet Sciron tibi tela cruenta ministret,
Vltrò Scironis tela cruenta feram.
Ipse licet toruus tibi suggerat arma Procustes,
Vana Procustæus suggeret arma furor.
Non illaudati metuam Busiridis aras,
Despiciam tauros, sæue Perille, tuos.
Circumstent Stygiæ quamuis me mõstra paludis,
Spreta mihi Stygiæ monstra paludis erunt.
Molle meum Ditis non est ad prælia pectus,
Et latus ad ferri vulnera robur habet.
State animis, videt hæc superis Regnator ab astris
Ille sua nostram molli jtante necem.
Ille meum triplici firmabit robore pectus,
Ille meum solido muniet ære latus.
Arma fremat, fremat arma ferox vesana Tyrãnus
Sanguinea patriam cæde cruentet humum,
Pinguescet nostro fæcundus sanguine campus,
Terraq. purpureo tinget honore rosas.
Vndabit cruor, &, plenum spumabit in amnem,
Qui nostram cæli ducat ad astra ratem.
Hæc olim: nunc obscuro tumulatus in antro
Sole diem semper deficiente traham.
Fallor, nulla meum condit nox improba Solem;
Ille nouum semper fundit ab ore iubar.

Illius æterno perfusus lumine, discam
 In media clarum ducere nocte diem.
Crescite funestæ latebrosi carceris vmbræ
 Vt libet. æternam non tegit vmbra facem.

B. IOANNES

DE GOTHO MARTYR

Mutilatus aure ad Carnificem.

ELEGIA XX.

VLnera pectus amat. cessas ô lente satelles?
 Non satis est aurem cædere: cæde latus,
Cæde latus. viret hic fidei ter nobile germen,
 Hoc melius fosso pectore sanguis alat.
Quid iuuat in tenues sensim colludere guttas,
 Ah precor, ah pleno defluat amne cruor.
Gutta parum, fluuios pectus sitit, ô vbi Ganges!
 O vbi purpurei sanguinis Oceanus!
Mergite me: tumido cruor amne reforbeat, inter
 Plena cruore meo flumina vita cadat.
Nescio quem iuuenem scissi (sub fragmine mõtis

Per,

Perpetuas in aquas exiluisse ferunt.
In latices vtinam nostrum quoq. corpus abiret,
Sed tamen ah laticum vena sit atra, cruor.
Vndiq. sanguinea rorent aspergine cautes,
Vndiq. purpureo rore tepescat humus,
Sed iuuat has etiam tenues effundere guttas,
Nam lapsu pluuias mox potiore dabunt.
Haud aliter cælum cum flumina plena minatur,
In tenues sensim nubila soluit aquas.
Ergò funde libens modicus dissecta cruorem
Auris, habet fontes plenior vnda suos,
Mox erit vt lacerum geminato vulnere pectus
E gemino roseas fonte refundat opes.
At tu, summe pater Diuum, cui militat vni
Inter tot mortis naufraga vita vices,
Accipe nos, & prima libens munuscula roris
Aspice, quæ cæsa parcius aure damus.
Auris prima tuæ bibit aurea semina legis,
Quæ mox in medio pectore fruet Amor:
Auris prima nouos instillat cæsa liquores,
Vt quæ prima bibit semina, prima riget.
Audiet hoc pectus, mox & sua semina pectus
Vberiore patens spargere fonte volet.
Tu quoq. Diue puer, lactentis sanguinis imbrem
Exiguis primum fluctibus ire dabas,
Vix dum te natum bis quarta afflauerat Eos,
Nec locus in membris quo petereris erat.
Cum tu cædis amans patrio data victima ferro,
Tingebas roseo mollè cruore latus.
Dic mihi quæ fuso manarunt sanguine guttæ,
Sanguis, an effusi lapsus amoris erant?

Sic

Sic primum stillas fundebas, Diue, sed anni
Vt venere, cruor plenior auxit aquas.
Tunc mare, tunc fluctus, tunc sanguinei torrẽtes,
Tunc rubuisse suos sensit Erythra lacus.
Hoc mihi contingat. tinxi modo sanguine glebas
Mox mens in pelagus currere disce cruor.

B. IACOBVS

GHISAI MARTYR

Vehiculo ad supplicium vectus.


ELEGIA XXI.

Te triumphales Capitolia ad aurea currus,
Sidera sunt nostris vltima meta rotis.
Sidera: nanq. humiles spernit mens alta triũphos.
Ad cælum noster sudet, oportet, equus.
Ite leues, non est via curribus inuia cælum:
Ipsa peregrinas astra tulere rotas.
Scimus vt ignitas cæli per inania bigas
Egerit Iliacia notus in vrbe senex.
Ille nouos visus tentare per astra volatus
Aethe-

Aethereum flamma remige rupit iter.
Tunc auræ posuere; Notiq. repente resedit,
Flatus, vt ardentes surgere vidit equos.
Illos flammarum nitidum iubar ambit euntes.
Ore vomunt flammas, flammea spuma nitet,
Igneus axis erat, temo igneus, ignea currus
Curuatura, rotas clarior ignis habet.
Igneus efflatur de naribus ardor equinis.
Et vibrant geminas lumina viua faces.
Fræna coruscantes voluunt ignita fauillas,
Et iuba flammarum spicula mille iacit.
Vngula falcatas circumsonat aurea plantas,
Et regit ardentes plenior aura pedes,
Obstupuere nouos insueto calle iugales,
Et tenuere suas sidera fixa vias.
Haud aliter rutilo ferri per inania curru
Græcia mentito finxerat ore Deos. (ras?
Nos quoq. quis superas prohibet timor irepe au-
Iteipatent vobis lucida regna, rotæ.
Si non ardentes ducunt mea plaustra iugales,
At potis est flammas addere dius Amor.
Dius Amor flammas, & amicas commodat alas,
Ille sua nostras dirig.t arte vias.
Ille gurbernando sedet arduus. ille quadrigas,
Et facili torquet mollia fræna manu.
Ille leues animas pedibus substernit equorum,
Ne frangat teretes mobilis aura rotas.
Ille iubet cælo pluuios decedere nimbos,
Ne tardet volucres sæua procella pedes.
Ipse bonus mihi currus erit, si nostra fatiscant
Plaustra, vel insuetum ferre morentur onus.

Ite

Ite rotæ, dant astra locum, dant Numina plausũ,
Ipse cupit vestros flectere Phœbus equos.
Fallor, an inuitant spatiosa per æquora nubes,
Et cælum liquido tramite sternit iter?
Ipsa inhiant nostrum deducere sidera currum,
Collaq. roboreo supposuisse iugo.
Ibimus, & rutilos pedibus calcabimus ignes,
Siue tuos, Helice, seu, Cynosura, tuos.
Haud nos vlla nocens afflatu stella maligno,
Haud volet irato lædere dente Leo.
Cũcta dabũt cursus faciles, properate quadrigæ:
Ite: suas pandunt aurea templa fores.
Iam mihi se portis aperit bipatentibus æther,
Et reserat firmas Numinis aula seras.
Ignes astrorum, & patrij laquearia cæli,
Et formosa oculis picta theatra meis.
Fas mihi fas longum sedes habitare micantes,
Aeternumq. mei Numinis ore frui.
Terra vale, me magnanimi vocat aula Tonantis.
Quid mihi cum patrio littore? terra vale.



B. PAVLVS MICHIVS MARTYR.

Vbi iumento per vicos vehitur.

ELEGIA XXII.

Vme animos generosa cohors, inuade phalanges,
Et Stygios alacri Marte lacesse duces.
Nunc iuuat indomitis audere in bella lacertis,
Inq. feras acies quadrupedante vehi.
Quisq. suo vectamur equo. sua quisq. lupatis
Ora domat. Manes fida repelle cohors.
Pugnamus dias sacro certamine pugnas,
Nulla venit dextro pugna sinistra Deo.
Hoc duce Tænarios nostrũ ruat agmen in hostes,
Et nigra belligero castra fatiget equo.
Vtilis in pugnas equus est; equitatus apertis
Excurrit campis, & fera bella gerit.
Gaudet equo Parthus, nec fertur in arma, priusquã
Quadrupedis patria compserit arte comas.

Nos quoq. bella vocant cæleſtia: dirige curſum
Miles, & hac hoſtem parte laceſſat equus.
Ducor io, ducor per plana, per ardua certus
Subdere Tartareas dia per arma manus.
Vmbrarum noctiſq. potens diſpone phalanges,
Et tua terrificis inſtrue caſtra dolis.
Impiger hoſtiles ſonipes meus ibit in enſes,
Certaq. de domito Dite trophæa feret.
Illum non acies Stygijs inſtructa maniplis
Non ſiſtet toruo crine Megæra ferox.
Irruet in medias cælo ducente cateruas,
Monſtraq. turbatis ſternet Auerna globis.
Cyllarus Argolici domitus Pollucis habenis
Inferior noſtro quadrupedante fuit.
Adraſtumq. ferox in bella ſecutus Arion
Compoſitus noſtris vilior iſſet equis.
Pegaſus ætherias ſuetus volitare per auras
Cornipedem nunquam vincat honore meum;
Hunc & ferre velit nocturnas Luna quadrigas,
Et fremere ante ſuum Cynthius ipſe iugum.
Hunc melius Matuta rotis adiungat Eois,
Cum nitidum roſeo fundit ab axe diem.
Hunc vehat in Thracas duris Mars ſæuus in armis,
Hoc vno poterit vincere Thracas equo.
Hoc mihi Tartareas fas eſt vrgere cateruas,
Hoc & Tænarios perdomuiſſe duces.
Victor io, victor ſpolijs Acherontis onuſtus,
Ter, quater inuicta voce triumphe canam.
Nec ſine teſte Deo pugnabimus, ille patenti
Aethere ſpectator prælia noſtra videt,
Et videt, & noſtrum diuino robore pectus,

Fir-

Firmat, io Stygiæ vertice terga manus.
Sistite me contra pugnantis tela Tyranni,
Sistite qua rapidis infremit Orcus equis.
Occurram. nullis caput obiectare periclis
Horresco: pretium mors habet ista suum.
Qui cadit, hic vincit; qui cæditur hoste subacto
Victor Apollinea tempora fronde tegit.
Vre meum lictor flamma caput, & pete ferro
Corpus. & intorta cuspide fige latus:
Mille itera feriendi artes, & mille nocendi,
Finge alia iratus vulnera, finge neces.
Diuinus sic vincit Amor. iuuat auspice cælo,
Auspice te dij Numinis alma parens.
Exitium tolerare atrox, tolerare cruentum
Funus, & infandæ mille pericla necis.
Tu mihi, tu mea Diua faue, tibi militat vni
Hoc quodcumq. mei pectoris audet amor.
Adsis, o bona Diua, tuum mihi Numen amicum
Fulgeat, & niueo sidere signet iter.
Te duce si Stygias immani clade Megæras
Edomitas Erebi stagna subire dabo,
Hanc tibi mox animam voti reus, arbore fixus
Constituam dijs victima grata focis.
Audimur. viden vt nitida face promicat æther?
I, meus, i sonipes prælia prima subi.

B. IOANNES DE GOTHO

MARTYR

Iniectis collo vinculis ad necem trahitur.


ELEGIA XXIII.

AVdite ferratæ circum mea colla catenæ,
Hoc mea se ceruix torque superba leuet.
Non mihi si fuluo despumans Lydius auro,
Tortile flauenti deuehat amne decus,
Posthabeam nodo pendentia vincla retorto,
Vt fluat auratus per mea colla Tagus.
Vos ego permutem nitidis bona lora lapillis,
Aurea de collo pendula lora meo?
Aurea; nam ferrum rutilum flauescit in aurum;
Dius vbi ferrum molliter afflat Amor.
Dius Amor chalybem puros transmutat in ignes,
Ne mea præ radiet Sole catena minus.
Dius Amor nostras iubet illucescere sordes,
Probraq. diuinum mandat habere decus.

Et

Et turpes ignominias, & carceris vmbras
Dius Amor clara luce nitere iubet.
Omnia diuini radijs purgantur Amoris;
Dedecus in titulos vertere nouit Amor:
O mihi luce magis Phœbææ cara fauillæ,
O ambita animo ferrea lora meo.
Necte mihi rigidum præduro pondere torquem
Lictor, & æratis triste monile plagis.
Hæc me dona iuuāt terris malè cognita nostris;
Quæ pretium sacri grande laboris habent.
Vilescunt præ fune rudi mihi Solis honores.
Vilescunt flammæ, candida Luna, tuæ.
Sic olim te, Diue, manus post terga reuinctum
Duxit ad infandum gens inimica iugum:
Ibas, Diue, ferens nostræ monumenta salutis;
Hærebant laceræ dumea serta comæ,
Vincula deiecto pendebant ferrea collo,
Vincula diuinus quæ religabat Amor.
Ah ego te patiar duræ succumbere morti?
Nec pro te duræ victima mortis ero?
Tène, laborantem rigido sub fasce videbo,
Et mea non vllum membra grauabit onus?
Quæ tibi vinxerunt tenerum fera vincula collū,
Ah fuerant collo debita vincla meo.
Illo debuerat figi mea vita tigillo
Fixus vbi sæuo funere, Diue, cadis.
Curuarunt quæ lora tuum feralia dorsum;
Curuassent dorsum sanguinolenta meum!
Qui tua fixerunt tristes vestigia claui,
Debuerant nostros figere Diue pedes.
Serta mihi, mihi spina rubos debebat acutos;

Et meus ille tuus felleus humor erat.
Me miserum! mea furta, meum, diuine, piabas
Crimen, ad immitem cum raperere necem.
Quid nunc pro tanto tibi munere, Diue, rependā?
Nostra pares nescit vita referre vices.
Cætus Iaponiæ gentis fremit, & mihi clamat:
Effuge supplicii tristia fata Gotho.
Scilicet ipse fuga generosa pericula vitem,
Et meus in duro stipite vinciat Amor?
Ipse tegar latebris, cælo cadat ille patenti?
Ipse necem fugiam territus, ille petat?
Quò possum te, Diue, sequar per inhospita passu,
Improbe de nostro pectore cede timor.
Ora vale mihi cara, vale mihi dulcis Iapon,
Et genus, & patriæ tecta valete domus.



B. IACOBVS GHISAI MARTYR

Cruci suffigendus crucem alloquitur:

ELEGIA XXIV.

VLtima meta meo stipes præfixe labori
Sponte tuo foueas nostra trphæa sinu.
Vt te longarum post mille pericla viarũ,
Postq, tot emensas lata per arua plagas.
Aspicio, agnoscoq. libens! vt dura recordor
Robora suffixo facta cruenta Deo!
Ille meis oculis vt dulce recurrit imago,
Cum meus in fluuios sanguinis iret Amor!
Ligna laborantem sub pondere, ligna cadentem
Complexu ah duro sustinuere Deum.
Trabs Domino fuit ara meo, dum sponte litaret
Dia Patri magno membra minister Amor.
Trabs animo mihi fixa sedet, dum victima cælo
Destinor, & superis hostia grata focis.
O me felicem, trabs ò mihi dulcis, & ò tu

Stipes ab amplexu sæpe beande meo.
Oscula quot referes? vt iam mea brachia trunco
Pendebunt nunquam dissoluenda tuo!
Optauit quoties tali succumbere letho
Saberius nostræ gloria prima plagæ,
Nec licuit, quoties illum spectauit Bous
Tristem quod lateri parceret hasta suo:
Quod non ensis atrox, laceros perrumperet artus,
Nec daret aëriæ pendula membra trabi.
Nobis prima parat iucundæ cædis Iapon
Munera, nos fusus poscit ad astra cruor.
Iam quercus sua mella parant, iam robora purũ
Nectar, & ambrosiæ plena fluenta ferunt.
Hoc datur è trunco viridem præcidere palmam,
Quam mox ad Superos dextera nostra vehat,
Hinc oleas, hinc victrices fas carpere lauros,
Vnde gerat nostrum florea serta caput.
Aude anime, æternos aude sperare triumphos;
Planta triumphales hæc beat vna comas.
Accipe me gremio stipes formose benigno,
Credimus arboreo gaudia nostra sinu.
Iam dudum maris insanos sulcauimus æstus,
Quasq; vomit sorptas ore charybdis aquas,
Tandem post sæuas, Erebo luctante, procellas
Stipitis infamis gloria, portus erit.
Hic ego nec ventis, nec tempestatibus atris
Iactabor, rapido nec Iouis igne petar.
Frustrà tabificas tendet Cytherea sagittas,
Expediet frustra Cyprius arma puer.
Spiret Auernali sæuus licet Auster ab antro
Et stimulos acuat torua Megæra suos,

Illa

Illa mihi requies arbos erit, illa furores
Comprimet, & profugo littora tuta dabit.
Arboreo vinctus trunco Sirenas Vlysses
Vicit, & auditos in sua damna sonos.
Dulcis in æquoreo resonabat gurgite cantus,
Et tacitas vltrò stare iubebat aquas,
Acceptos Zephyri reddebant voce susurros,
Spirabat placidis lenior aura modis.
Pacato passim saliebant marmore pisces.
Nata cohors blandum sæpe bibisse melos.
Aduolat omne hominũ genus,& genus omne na-
Atq.auida argutos ebibit aure sonos. (tantum,
At non illecebris Sirenum captus Vlysses,
Aequoreum celeri puppe moratur iter.
Membra ligat malo, cera simul oblinit aures;
Et vocat immissos ad sua vela Notos,
Euolat, & scopulis secat æquora tuta relictis;
Ille fugit, socij naufraga turba, cadunt,
Nos etiam duro suffixi membra tigillo,
Dicemur Stygios præterijsse dolos.
O votis ambita meis ter amabilis arbor,
Arbor delicijs illecebrosa tuis.
Tène ego conspicio mortis ferale trophæum;
Mentior, an vitæ scena beata meæ?
Neglectum terris spectaclum, nobile cæli
Vexillum, sub quo Tartara victa tremunt.
Nostra tuo iam labra hærent inhiantia ligno,
Oscula certatim congeminata damus,
Te feretrum ferale vocat deceptus Iapon,
At tibi vitalis vena salutis inest.
O dulce abiecto scelerum mihi fasce leuamen,

O & delicias, & decus omne meum;
Amplector quodcunq; tuum, seu dulce theatrum
Sufficis, vt pacis symbola pulchra legam,
Seu mihi vitai tot tempestatibus acto
Imperturbato littore portus eris;
Siue paras volucrem cæli per inania currum,
Vt subeam facili sidera picta via:
Seu thalamū, superiq; refers connubia Regis,
Quæ facer effuso sanguine nectat hymen.

B. PAVLVS MICHIVS.

Cruci suffixus ad astantes.

ELEGIA XXV.

HVC oculos numerosa cohors, huc tollite vultus,
Vltima dum fidus verba ministrat amor.
Extremum iam lingua vale meditatur, & omnis
Pectoris arcanus migrat in ora vigor.
Sic vbi supremi vocat vltima meta diei
Dulcius arguto gutture cantat olor.
Cernite: num vestras nostris expleuimus iras
Supplicijs? poscit num grauiora furor?
Pendemus, miserum! rapidis ludibria ventis,
Nectimur infami pendula turba trabi.

Et mea iam nunc exacuens in pectora rostrum
Abdita rimari viscera vultur auet.
Hoc benè, sic patrium tutò mereamur Olympū,
Sic emitur fusi sanguinis imbre Deus.
Vi cælum petitur, ferrato cardine postes,
Et clausæ rigido stant adamante fores.
Non potis Alcides claua perrumpere limen,
Non Pyrrhus valida fortia claustra manu.
Hæc mihi nunc arbos aries erit, hæc mihi valuas,
Et poterit superas comminuisse feras.
Vera cano. Deus ipse suas sic obtinet arces:
Hoc cælum reserat robore fida cohors.
Vos ò nunc patrij, vos ò bona turba sodales
Credite: mentiri vox moritura nequit.
Vna salus animis, nostræ spes vna saluti.
Vecta peregrino littore sacra sequi.
Illa dabunt Stygiæ flammas vitare paludis;
Et superum lætas applicuisse plagas.
Vana superstitio Nabathæas polluit aras.
Nostra, Deum testor, non habet ora Deos.
Tartareis agitur tædis gentilis Amidas,
Et vero vacuum Numine nomen habet. (nos
Et Chamis, & Fotoques manes numerātur Auer-
Inter, & horrifici lurida monstra lacus,
Fingitis arbitrio temeraria vota profano,
Ponitis inferno qui sua templa Ioui.
Proh facinus! Diti Panchæi thuris honores
Vritis, & Stygijs fumat acerra focis.
Omnis Iaponij tractus plaga militat Orco,
Et falsa populos credulitate tenet.
Ad piceum Phlegethonta sinus festinat Eous,

Et petit heu lata Tartara nigra via.
Finibus è nostris pietas exclusa vagatur,
Ni procul hanc nobis Itala cymba vehat.
Vera loquor superis auctoribus, haud ego mendax
Venit ab Hesperio littore missa salus.
Testor, cara mihi soboles, hæc astra, tuumq.
Dulce caput, pro quo sit mihi vile mori.
Testor & hanc cæli semper spirabilis auram,
Cuius ab alterno munere vita venit.
Testor quidquid vbiq. suis fulgoribus Eos
Imbuit, & rutilis Lucifer afflat equis.
Nulla fides nisi quam Latij sparsere coloni
Quam meus è cæli littore vexit Amor.
Tempus erit cum certa meæ præsagia linguæ
Ostendet veniens vera fuisse dies.
Plura iuberet amor, sed iam mea viscera ferrum
Transadigit, pubes ò mihi cara, vale.



B. IOANNES DE GOTHO

MARTYR

Iam iam geminato lanceæ confodiendus ictu.


ELEGIA XXVI.

Vod superest age iam ferrum molire satelles
Victor, & immiti cuspide corda feri.
Rumpe moras, scrutare sinus, scrutare latebras
Pectoris, & cæco vulnere fige latus.
Nuda vides, nisi quod tenui mea pectora velo
Dædalea solers arte recondit Amor.
Fige ictum, lacerosq. viam meditare per artus,
Inueniat scisso pectore sanguis iter.
Iam salit, & trepido circum præcordia motu
Ostia lapsurus quærit aperta cruor.
Quæ noua segnities? an non sinus obuius offert
Ilia vel lenta traijcienda manu?
Arbitror, expositum nullo patet obijce pectus
Tela petunt vltrò viscera, tela latus.

Arma

Arma moue, vix nostra tuum præcordia ferrum
Stringet, & effossus iam sinus omnis erit.
Aude animis, nũ sanguis hebet? nũ dextera torpet:
Segnis, & inuisum lenta recusat opus?
Non adeo flecti facilis tibi corde sub imo
Sensus inest, nostris vt moueare malis.
Scilicet & validos geris ad mea vota lacertos,
Et manus est sæuæ certa ministra necis.
Fige latus, quid segnis adhuc mea vota moratis?
Fige: cupit superas vita subire plagas.
Audimur, viden vt gemino patuere sub ictu,
Et dederunt latas saucia corda vias?
I cruor, i roseos effunde capacius imbres,
Et fidei passim semina sparsa riga:
Olim dia Fides orientis credita campis
Perfundi riguo fonte cruoris amat.
Arida fallaces vltrò vanescit in herbas,
Quæ caret effusi fluminis imbre seges.
Haud aliter torpescit iners, & languida mæret
Non dum purpureo pota cruore Fides.
Ah quas illa rosas superas educet in auras,
Nunc vbi fæcundo sanguinis imbre madet!
Ah quas illa feret felici germine fruges,
Nunc vbi sanguineo pocula rore bibit! (bas,
Cresce seges, venit ecce nouas iã succus in her-
Pinguia diffusus pabula sanguis habet.
Tempus erit, nec longa dies, cum sidera cernet
Vberior nostro fœta cruore seges.
Cum patrios ritus vltrò damnabit Iapon,
Et dabit ætherio libera colla iugo.
India tunc se se mirabitur, & sibi dicet

Nos bene fortunæ consuluisse suæ.
Et leges complexa nouas & non sua iura
Adstruet Ausonios ad noua sacra choros.
Nil tunc nil priscum nisi nomen habebit Iapon;
Et sua lugebit templa relicta Chamis.
Sparsa solo simulacra ruent antiqua Deorum,
Fanaq. marmorea diruta sede cadent.
Nobiliora nouis surgent fastigia pinnis,
Et pia perpetuos offeret ara focos.
Huc bene misisti patrios Europa colonos:
O quibus auspicijs Itala turba venit!
Qualia spondebant tunc sidera, primus ad Indos
Saberius cælo cum duce vela dedit,
Cum nigrans onus è niuea ceruice pependit,
Visaq. sunt nimio pondere terga premi.
Tunc mores venere pij, tunc soluit ab oris
Hesperijs celeri remige vecta Themis.
At nunc dia Fides nostri bibe sanguinis vndam,
Quò veniat culmo mox potiore seges.



P. MAR-

P. MARCELLI MASTRILLI

De Indica profectione votum.

ELEGIA XXVII.

MAgnum iter, extremos proficisci cogor ad Indos,
Exuat vt curas anxia vita suas.
Gliscit enim assiduè fundendi sanguinis ardor;
Et tenerum stimulis pectus adurget Amor.
Omnia sunt tentata mihi. qua parte residat
Aestus, at ex omni me meus ignis agit.
Nec me flamma die, gelida nec nocte relinquit,
Hæret, & arcanos pascitur vsq. sinus.
Seu me somnus habet, sopitum somnia ducunt,
Trans freta, trans fluctus Oceaniti tuos.
Seu vigilo, vigiles exercent pectora curæ,
Et videor longas, ire, redire vias.
Vnum erit auxilium fines penetrare repostos,
Indus vbi flauo gurgite voluit aquas.
Quare agite ò puppim propellite in æquora nautæ,
Remorumq. suum dextra capessat opus.
Iungite felici pendentia carbasa malo,
Et leuis effusos impleat aura sinus.
Ite citi, properate viri. Deus auctor eundi

Ipse

Ipse bonus remex, ipse magister adest.
Hoc mihi Saberius cælo spondebat ab alto;
    Cum mihi sulcandi gurgitis auctor erat.
Soluimus è portu; iam me maris alta sonantis,
    Accipiunt, littus iam procul omne fugit.
Iam Syrtes, iam Scyllæas euasimus iras,
    Iam procul à læua torua Charybdis abit.
Italiæ colles, dulcesq. valete sodales,
    Et dilecta mihi Parthenopæa vale.
Ergò ego nunc rudis Eoi vehar æquoris hospes?
    Dicar & Aeolias non timuisse minas?
Iam feror Aethiopum rabidos perferre calores,
    Insanas Asiæ iam tolerare niues.
Ah quoties placidas mirabor stare procellas,
    Et rabiem tumidum deposuisse salum!
Frustrà me venti frustrà terrebitis vndæ,
    Militat æterno ventus, & vnda Deo.
Mox vbi me lætis acceperit India campis,
    India vicino Sole perusta domos,
Quod superest durum plantæ perferre laborem,
    Callis, & angustæ longa pericla viæ.
Proderit hic animos studijs formare seueris;
    Natiuamq. sacro tergere fonte luem.
Euellenda mihi seges est impura malorum;
    Scilicet & Stygij fraus agitanda Iouis.
Purgandæ mentes vitijs, passimq. ferendus
    Per populos veræ Relligionis amor.
Quod si crudeli fuerit mihi morte cadendum,
    Mors erit hæc vitæ meta cupita meæ.
Si mea barbarica scindantur colla securi
    Illa mihi victrix palma securis erit.

Si gelidis immergar aquis, me gurges aquarum
  Protinus ad cæli littora fida vehet.
Si rabidæ tradar flammæ, nil flamma nocebit.
  Iam dudum maior pectora flamma cremat.
Quæ me cumq. manent discrimina mortis amaræ
  Dulcia diuinus reddere nouit Amor.

PATER MARCELLVS

MASTRILLVS

Acceptis de Indica profectione codicillis ita secum.

ELEGIA XXVIII.

IX media, & magni mihi venit epistola
  Muti:
Indos me missa iussit adire mora:
Quà patria feritate amens longinquus Iapon
  Gaudet inhumana spargere cæde manus.
Quid faciam? raucis committam mene procellis,
  Vt timeam pluuias in mea membra minas?
Occurram sæuis turbata per æquora Cautis,
  Vt fiam tumidi ludicra præda sali?
Experiar Syrtes, & adacta Ceraunia telo;

Et Maleæ nautas decipientis aquas?
Obijciam vinclisq. manus, & colla securi,
Et iaculis pectus, verberibusq. feram?
At si vana mei facient hæc iussa timores,
Quàm mihi læsus Amor, iure timendus erit?
Læsus Amor fontes æternis ignibus vrit,
Insequitur pœnis crimina læsus Amor.
Ergo anime imperijs vltrò te subde Tonantis,
Et pete Memnonij littora iussa sinus.
Nec tamen est vllus superum qui vota moretur,
Obsideat quamuis barbarus hostis iter.
Quisquis diuinis flagrabit amoribus, ibit
Tutus, inæquali si volet ire salo.
Huic lucem medijs effundit Luna sub vmbris,
Et pandunt facilem sidera clara viam,
Ductor Amor dextra tenebras explorat inertes,
Sedulus, & motam percutit ante facem.
Tuta salus gressus vltrò confirmat euntis,
Ne lædant celeres aspera saxa pedes.
Ipsa maris rabies fluctus componit hiantes,
Et duræ glaciem dissoluêre niues.
Nec pluuiæ nocuisse volent, nec frigus amanti;
Omnia diuinus nam moderatur Amor,
Quod si me funus vocet ad crudele Tyrannus
Barbarus, vt nostro sanguine turpis eat,
Hoc mihi funus erit vita iucundius ipsa:
Hanc precor, hanc tandem sidera ferte diem.
Barbaries non vlla meum peruincet amorem
Infirmus nunquam dicar amator ego.
Non me degenerem patrijs spectabit ab astris
Saberius cordis viua fauilla mei:

Ille

Ille mihi vitæ fatales prorogat horas,
Vt caput hoc dira non ſine cæde cadat:
Debueram nuda dudum iacuiſſe ſub vrna,
Ni mihi Saberij dextra tuliſſet opem.
Non me ſubduxit letho manus illa, ſed auræ
Reddidit, vt ſæui militis enſe cadam.
Barbaricos me Saberius deuouit ad enſes,
Enſis erit titulis debita palma meis;
Non equidem ſacram mereor decerpere laurum,
Sed tamen ô, noſtras vinciat illa comas.
Auſpicijs, Franciſce, tuis nouus hoſpes Eoum
Littus, & extremi Memnonis arua teram;
Et iam luſtrati ſpolijs Orientis onuſtus
Conſtituam vero parta trophæa Deo.
O me felicem rigidi cum victima ferri
Purpurea victor ducar ad aſtra via.
Tu mihi ſiqua dabit mortalis dextra ſepulchrum
Inſcribi carmen ſic ſuper oſſa velim.
Hac iacet extinctus parua Marcellus in vrna
Cui bis Saberius viuere poſſe dedit.




AD GERMANVM FRATREM

Ad Indos properantem Germani queſtus.

ELEGIA XXIX.

TVne igitur noſtro de littore ſoluere proram
Certus es,& ventis Indica regna ſequî?
Nec te noſter amor, nec te mea vota morantur,
Nec pluuiæ cordis te retinentis aquæ?
Tùne procelloſos ventorum ferre tumultus,
Et maris irati dura pericla potes?
Tu pedibus gelidas poteris calcare pruinas
Fortis, & in ſolido ſæpe cubare ſolo?
Quid ſi neſcires infida quid æquora poſsint,
Et toties noſtris vnda cruenta malis?
Reſpice Alexandrum blandæ Sirenis alumnum,
Cui tumulum in medijs præbuit æquor aquis.
Illum par ſtudium, par cura vocabat ad Indos,
Ah patrij iuuenem ſpemq. decuſq. ſoli.
Illum non caræ voces tenuere parentis:
Nou ſoror ingenuas fletibus vda genas.

Vicit vitæ illectamenta animosa cupido
Protinus, & ventis carbasa lenta dedit.
Ibat io spirans calidas in Tartara cædes,
Accensus dio molliter igne latus:
Qualis belligeros irrumpit miles in hostes,
Quem vigor, & vitæ prima iuuenta rapit.
Ecce fremunt cæco connixi turbine venti,
Et subigunt imis stagna refusa vadis.
Miscentur caelo fluctus, ruit oceano nox
Turbida, nigranti spirat ab axe furor.
Ah quid Alexander dira baccante procella?
Quid facet ille tui pectoris audet Amor?
Certa vides lethi discrimina, certa pericli
Occurrit facies, non tamen alget Amor.
Aestuat in medijs algoribus, & sibi totos
Oceani fluctus non putat esse satis.
Vt cadat extinctus, gelida tumulatur in unda
Corpus; at ad caeli sidera tendit amor.
Arbitror ad tantas caluerunt caerula flammas,
Et iam tum didicit mitius esse salum.
Felix ò iuuenis, si quid mea carmina possunt
Ignotus tumido non moriere mari.
I bonus, i patrio ter amabilis hostia caelo,
Quò tua te uirtus & benefacta uocant.
Si tibi purpureæ non est data copia caedis,
Sanguinis ut riuis obruerere tuis,
Aequoreis at lotus aquis, totusq; marino
Rore madens, altum sisteris ante Deum.
Sed pelagi, Germane, minas addisce uereri:
Molliter irasci non solet unda maris.
O utinam pluuiae geminentur sidera brumae,
Et

Et nimio terras frigore uexet hyems:
Ne tua de nostra decedat puppis arena,
Puppis laponios mox aditura sinus.
Neue ego littoreo desertus in aggere, saeuum
Te cogar querulo saepe uocare sono.
Sed quocunq. modo de me mihi care mereris;
Aequora sint uotis officiosa tuis.
Vt te felici praeuectum caerula cymba
Accipiat placido terra petita sinu.
Tunc me nec pigeat reduces exposcere nautas.
Dicite Germanus quo meus orbe latet?
Et dicam licet Hesperios, licet accolat Indos,
Ille meus certo faedere semper erit.
Illi carus ego, & patriae communis honestas,
Et liquidas numquam me sine scindet aquas.
Hoc erit, hoc nostris indulgeat ille querelis,
Vt ratis acceptos auehat una duos.
Ibimus, & paribus sulcabimus aequora remis;
Ille suos passus diriget, ille meos.
Atq. utinam uitae par finis utrunque sequatur,
Vnus & amborum contegat ossa lapis.
Instrue barbaricas uesane Tyranne secures;
Et noua vulnifica cuspide tela para;
Non omnis moriar Germano iunctus; amores
Scilicet in caelum deferet ille meos.



PA-

PATER MARCELLVS MASTRILLVS

Securi percutiendus.

ELEGIA XXX.

Caedere deuotam ferro dum forte moratur
Ceruicem lictor iam trepidante manu,
Has imo uoces Marcellus pectore fudit,
Saxa quibus fletu penè soluta fluunt.
En morior, bone Diue, cruentae uictima mortis,
Mentior, an uitae deficit umbra meæ?
Destitit ipsa sibi iamdudum uiuere uita
Quam tuus ah toties iam iugulauit Amor.
Si bene mens animi uitae sua fata reuoluit,
Non moritur soli qui tibi uiuus erat.
Dudum uita suos artus fugitiua reliquit,
Vna fuit cordis cum mihi uita Deus
Nunc mortale meum mortali subiacet hosti;
Hoc de me spolium dextra cruenta feret.
Nam gremio suscepta tuo mea uita triumphat
Funeris expertes ducere nata dies.
Vrget Amor mea membra tuus, tu spiritus ori
Tu

Tu calor es cordi, tu vigor ossa foues.
Tu mihi victrici nectis de fronde coronam,
Vt mea nunc circum tempora laurus eat.
O bene susceptos duce te, diuine, labores.
Quos ego per terras, & maria alta tuli.
Felices auræ quæ me vexistis ad Indos,
Felix sustinuit quæ mea membra ratis;
Membra heu vulnifica iã iam cædenda bipenni,
Membra sacer ferro quæ sibi poscit Amor.
O audita Deo nimium mea vota secundo!
O sparsas cælo non renuente preces!
Et teneo dudum tota quod mente petebam,
Quod mihi diuinus sponte canebat Amor.
Destinor irato truculenti militis ensi.
Irruet in nostrum barbara dextra caput.
Ah quoties genus hoc lethi, Francisce vocabas,
Littoris Eoi cum nouus hospes eras!
Et nunc, ô pietas! frondem tibi sæpe negatam,
Ipse meo capiti nectere sponte paras.
Hanc mihi tu laurum cæli super astra ferebas,
Cum mihi vitäi perdita dona dares.
Illa tua fata, Diue, manu succreuit in hortis
Aethereis, nostras implicitura comas.
Hanc mihi tu patrijs defers nunc lætus ab astris,
Vt niteant donis tempora nostra tuis.
Ergo quid dudum lictor mea vota moraris?
Mollia crudeli colla recide manu.
O ferrum mihi Mæonio pretiosius auro!
O Orionio clarior ense chalybs!
Incute mi validos robustis viribus ictus,
Discat vt ad cælum subsilijsse cruor.

At tu vox ferro mox succidenda, memento
Sic etiam Dominum congeminare tuum.
Talia fundebat liquidàs Marcellus ad auras,
Impia cum dirum. dextra peregit opus.

AVREA ROSA
AB VRBANO VIII.
PONT. MAXIMO.

Mariæ Hungariæ Reginæ dono missa.

ELEGIA XXXI.

VERIS opes visura tui rosa gloria veris
Sponte Quirinales Austria, liquit agros.
Quæris natiuo cur non pubescis in ostro,
Nec bibit Alpinas altius ore niues?
Auguror illa tuos postquam conspexit honores,
Palluit, & priscus decidit ore color.
Quid si pallores augusto spirat in auro,

Hoc

Hoc Augusta tui munere Solis habet.
En iterum famæ miracula nota reducis,
Et rosa mutato pulchrior ore nitet.
Erubuit minio formosæ Cypridos olim,
Sanguinei guttis cum maduere pedes;
Pallet ad Austriacos nunc exanimata nitores,
Vincis Apollineas cum noua Nupta faces.
Discite quā Veneri præstet Charis Austrias, auro
Imbuit hæc patrias, illa cruore rosas.
Auriçomæ saluete rosæ, noua gloria florum,
Scilicet, & veris nobilioris opes.
Vos nūquam rigidæ premet inclementia brumæ,
Nec grauis ætherei distrahet ira Canis.
Vester ab Austriaco deducitur æthere fulgor;
Austriacum nubes æthera nulla tegit.
Vester in Augustæ pubescit vertice collis;
Semper in Augustæ vertice Flora sedet.
Nescio quis patriam iactat mihi garrulus Hyblā,
Hyblæo rutilent quod mage colle rosæ.
Fallitur. Austriaci ni gloria verticis obstet,
Verticis Hyblæi gloria prima foret.
Qui biferi memorat celebrata rosaria Pæsti,
Arguitur flores non bene nosse tuos.
Floribus Austriacis laus forsitan vnica desit,
Quòd careant sacræ mellis honore rosæ.
Credimus? an Latiæ fingunt mendacia Musæ?
Melleus Austriacis floribus humor inest.
Illic pura suos instillant sidera rores.
Illic Vrbanæ mella liquatis apes.
Vrbanæ quæ veris apes per prata Quirini
Conditis æternis mella beata fauis.

Mella quibus totus dulcescit suauiter Orbis,
Et liquidas dij nectaris haurit opes.
Mella quibus Charitum fluit è torrente voluptas,
Et venit è sacro roscidus amne liquor.
Fortunate liquor te nunquam nubila, nunquam
Distrahit Odrysius pulla per astra Notus.
Fortunate liquor, tu fonte recurris ab illo,
Aurea perpetuo qui fata rore beat.
Quà semper placidi spirabilis aura Fauoni
Lenta per ætheriôs flabra lacessit agros.
Hunc longum mihi sponte rosæ seruate liquorē;
Spernam Cecropios Attica dona fauos.
Sed iam necte comis sertum, Regina, rosarum;
Dicentur capiti debita serta tuo.
Ambigimus rapiatne rosis Aurora ruborem,
Anne det, Eoa cum face lustrat agros,
At vernis vbi iuncta rosis tua forma coiuit,
Non finit ambiguos muneris esse tui. (ris,
Fulgoris rosa quidquid habet, rosa quidquid amo-
Scilicet è vultu surripit illa tuo.
Seu rubuit pudibunda, tuus rubor ille putatur;
Seu niue cana, tuas surpuit illa niues.
Seu latet, & tenerum velat sub fronde pudorem,
Nempe tuus latuit regius æde pudor.
Seu mage pulchra nitet, dū se minus ore recludit;
Tu quoq. visa minus, non minus ore places.
Seu notum patulis referauit frondibus aurum;
Hoc etiam de te nobile munus habet.
Seu procul Asyrios afflauit mollis odores,
Et tuus Asyrio mollius halat odor.
Tandem seu vulnus spinis infigit acutis,

Hoc

Hoc vnum, memini, non habet illa tuum.
Arrides. folium vallat sed spina satelles;
Extorques. sed et hoc possidet illa tuum.
Deniq. quidquid habet, de te rosa sūpsit habēdū,
Et iuuat è tanta furta petita domo.
Ergò fulta rosis dum mollibus, Austrias, ibis,
Ostentabit opes scilicet ipsa tuas.

PROSOPOPOEIA EVROPAE

Ad pacem populares suos adhortantis.

ELEGIA XXXII.

PRoijce tela manu sanguis meus: hactenus iræ,
Hactenus insanus mouerit arma furor.
Ergòne pax solos habeat fugitiua recessus,
Pax animi requies, pax Dea sola soli?
Pax legum custos, morum pax optima nutrix,
Pax sine qua placidos non licet esse dies.
Bella tenent vrbes, dominantur bella per agros:
Bella tonant arces, mænia bella tonant.
Proh facinus! totus bellorum motibus orbis
Concutitur; sæuum Mars sine lege furit.
Vndiq. sternuntur bello sata læta; labascunt
Oppidā; deiecto culmine fana ruunt,

O pacis quondam iucundum nomen, & omen,
Heus vbi terrarum te tua fata trahunt?
Non licet immunes bellis cessare puellas.
Dura vocant pueros prælia, dura senes.
Quæ rabies, quæ tanta agitat præcordia Erinnys?
Quid tantum cædes, & fera bella iuuant?
Heu mea quam multis lacerantur viscera telis,
Natorum quoties vulneror ense parens!
Heu ego quid merui? vel quo rea crimine plector?
Materna scelus est spargere cæde manus.
Cur meus exundat cruor in mea dāna? meū quid
Cor patet, & scisso pectore vita fugit?
Vertite vulnificum malefida in viscera ferrum,
Barbara sub vestro milite corda tremant.
Cur Asiæ, Libyæq. sedet Regnator inultus?
Cur mihi quæ rapuit reddere regna negat?
Hos animo, mea progenies versate furores.
Bella decent vestras hæc potiora manus.
O rerum quondam caput, ò Bizantia cælo
Fida domus, quo nunc pressa sub hoste iaces!
Tune decus quondam terrarum, nobile mundi
Imperium, Fidei gloria, pacis honor;
Tu nunc Odrysio seruis captiua Tyranno,
Vincta pedes dira compede, vincta manus?
Heus vbi, Cōstantine, tuum nunc robur in armis?
Quò vigor? indomitus quò tuus ardor abit?
Maxenti spolia, & tot sparsa trophæa per orbem,
Et Licini ad nostros gloria fracta pedes,
Barbara præda cadant? en quò discordia mētes
Perduxit miseras? en quibus arma damus?
Militat his vltrò noster furor, ite rebelles

Vin-

Vincite; Threijcij signa referte ducis.
Heu crudele nefas! Othomanica Luna cruorem
Christiadum toties sanguinolenta bibit.
Bizantina regit sceleratus mænia praedo.
Templa Dei quondam barbarus hostis habet.
Ite citi, mea progenies, vexate Tyrannum
Impurum, pænas bellua dira luat.
Occidat, & rerum malè captas ponat habenas;
Vt sua diuinus templa reuisat honor.
Occidat & Stygias descendat inultus ad vndas,
Non illum Medus, non tueatur Arabs.
Ite alacres, properate: Deus, Deus auctor eundi
Spondet ab euersis certa trophaea focis.
Fræna feret, feret aeratas Threissa catenas
Luna. necis dirae victima Thraces erunt.
Quid loquor heu? noster sanguis fluit, in mea nati
Damna ruunt, nostrae dilacerantur opes.
Quid petitur tanto nisi vilis adorea bello?
Cladibus his animi iam foret empta salus.
Si cruor hic vera pro Relligione nataret,
Ferret ad aethereas agmina quanta plagas!
Funera barbarico si tot daret ense satelles,
Funera quot possent ista beare duces.
Nunc acies, nunc arma pio male grata Tonanti,
Nunc Mars horrifico sidere regna tenet.
Iam nec sola mouent mortalia pectora bellum,
Ipsa sed in pugnas nunc elementa ruunt.
Iam mare, iam tellus, iam sidera, iam vagus aër
Pugnandi dubias edidicere vices.
Neptuni quondam sedes, nunc area Martis
Audit, & in medijs castra locantur aquis.


Iam


Iam pro caeruleo rubrum bidit vnda colorem,
Nauita iam toto gurgite bella vehit.
Quid tempestates memorē? quid praelia narrem
Ventorum? rapido quid loquar amne minas?
Vndiq. turbatur, quà torquet inane procellas,
Quà Notus euersa praelia miscet aqua.
Ipse suas acies armat polus; ipse volucres
Arduus in pugnam Cynthius vrget equos.
Imbuit infecto sua cornua Luna veneno,
Duraq. curuata spicula fronte iacit.
Scintillant rutili ferali crine cometae,
Sidera regificum sternere nata genus.
Omnis inardescit radijs vibrantibus aether,
Ipse gerit bellum Scorpius, ipse Leo:
Terra tremens immane, grauiq. excussa tumultu,
Vltrò belligeras est imitata tubas.
Iamq. cauernosis è montibus euomit ignes,
Fumida, iam superis nunciat arma plagis.
Exudant calidi permixto turbine nimbi.
Et piceae volitant nigra per astra faces.
Tentauit quoties Natura resoluere rerum
Faedus, & antiquum restituisse chaos!
Tentauere dies quoties excludere nubes.
Et nitidum aeterna pellere nocte iubar!
Sed Superi vetuere. Deum mortalia tangunt
Scilicet, & votis flectitur ille meis.
Ah graue bellorum tandem deponite pondus,
Iam satis est fusum sanguinis. arma vacent.
Pax volitet circum, niueis pax candida pennis.
Otia felici sidere laeta vehat.
Pax animos, pax corda regat, pax rura colonis.

Resti-

Restituat, belli quae grauis ira tulit.
Pace bidens & aratra vigent, pax arua maritat:
Relligio blandae foedera pacis amat.
Pace fluunt amnes Permessi, pace Camaenae
Alternant teneris carmina blanda modis.
Pace suum Pallas colit ingeniosa Lycaeum.
Pacis ad aspectum florida ridet humus.
Plura quid enarrem? nihil est sine pace serenum
Vna beare homines pax valet, vna Deum.

LAVS DEO.





Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sacri Palatij Apostolici.

I. B. Episc. Camerin. Vicesger.

Imprimatur.

Fr. Thomas Aquauiua Magister, & Socius Reuerendissimi P. Fr. Vincentij à Florentiola, Sacri & Apostolici Palatij Magistri Ord. Prædicatorum.

ROMAE,
Ex Typographia Hæredum
Francisci Corbelletti.



M. DC. XXXXI.

Superiorum Permissu.

Errata corrige.

El.4	v.1.& 2.	eos	Eos
el.4.	v.3.	nomine	numine
el.5.	v.vlt.	eos	Eos
el.7.	v.2.	ſenſum	ſenſim
el.8.	v.19.	ſaggitifer	ſagittifer
el.8.	v.96.	tanſtra	tranſtra
el.9.	v.42.	hnmus	humus
el.9.	v.57.	hninc	hinc

Cætera lector prudens facilius corriget.



